PETRO BOBADILLAE DIDACI FERNANDEZ BOBADILLÆ CHINCHONIORVM COMITIS, ac Regis Catholici PHILIPPI II. domus Præfecti F.

Io. Antonius Viperanus S.

NOS quoq; florente ætate in poëtarum ſtudijs verſati ſumus, & poëtarum more quædam carmina ludendo ſcripſimus, nihil illiberale, nihil obſcœnum habentia, ſed deſcribentia virtutum officia, & clarorum virorum animos, facta, & dignitates laudibus exornantia; quæ ad honeſtatem, & animi pulchritudinem iuuenes excitarent. Vnde tibi ipſa dicamus magnæ ſpei iuueni, magniq; parentis filio, vt excellentium hominum virtutes imiteris, ac nobiliſſimæ familiæ tuæ gloriam tuis egregiè factis ampli-

fices. Nec me fugit eſſe quoſdam, qui carmina tanquàm res inanes, & pueriles paruifaciunt; rudes profectò, & illiterati, qui ne ſummis quidem (vt dici ſolet) labris ſuauitatem carminum deguſtant, nec poëticæ vim vllam percipiunt. Nam ſapientes veteres omnes poëtæ extiterunt: & qui in hoc artis, & doctrinæ genere excelluerunt, apud omnes gentes, & nationes ſemper ſummo in honore habiti ſunt; quòd difficilimum omnino ſit bonum poëtam fieri. Etenim præter acumen ingenij, grauitatem iudicij, infinitatem memoriæ penè omnium doctrinarum cognitio cum multarum, & maximarum rerum peritia in vno poëta requiritur; vt nulli mirum ſit, ſi plurimis ſeculis quàm paucos bonos poëtas inueniamus. Sed in libris, quos de poëtica ſcripſimus, ſatis multa de poëta, ac poëticæ commendatione diximus. Te verò decet hæc, quæ beneuolè tibi offeruntur, benignè accipere, & quæ glorioſè laudantur ſtudioſiùs æmulari. Is enim eſt poëtarum lectionis fructus in laudatam vitæ formam cum præſtantiſſimis viris includi.

IO. ANTONII VIPERANI CARMINVM LIBER I.

AD REGEM CATHOLICVM PHILIPPVM II.

Ode I.

NVNQVAM Mæonio fas mihi carmine
Iris orta Ducum dicere prælia,
Seu cantandus Achilles,
Siue Anchiſiadis labor.
Nam lenis citharæ ſpiritus horrida
Bellonæ trepidat fingere fulmina
Molli pectinis ictu,
Aut acrem nimiùm tubam.
Nec dira Archiloci, qua ſocer occidit,
Iactamur rabie: nec querimonias
Iunctis flemus amorum
Textu verſibus impari.
Sed me Threïciæ Muſa potens lyræ

Defunctum grauibus ſæpe laboribus
Dulci recreat arcu,
Neruos tangere callido:
Et ſummis digitis candida lilia
Carpens, ſerta docet nectere floribus,
Et famoſa coronis
Lætis cingere tempora.
Heroum ſoboles, curaq; cælitum,
Vt ſpirem, & placeam, da, precor & precor,
Te REX magne PHILIPPE
Euterpe facilem meæ.

PIO V. PONT. MAX.
Ode II.

EST Angelorum, qui eſt hominum parens:
Vtriſq; diſpar conditio tamen:
Illi beato perfruuntur
Nectare, lætitijsq; ſummis;
Nos bruta tellus, quam Thetis alluit,
Denſisq; Iuno nubibus obtegit,
Morbis, & ærumnis ab ortu
Implicat, horribiliq; letho,
Vi mentis illis ſed minùs impares;
Concretionem quæ luteam fugit,
Mortisq; nexus, quæq; caſta
Relligione colit tonantem,
Scribitq; leges, iuraq; ciuibus,
Rerumq; vires percipit abditas,

Nec

Nec non & aſtrorum rotatus
Quidue trahant, retrahantue cernit.
Romane, ſemper maxime Pontifex,
In fluctuoſo qui regis æquore
Noſtræ gubernaclum ſalutis
Impauidus maris in tumultu,
Teſtem meorum te voco carminum;
Summos honores quòd PIVS occupas,
Sanctisq; mortales tueris
Muneribus pater, atq; paſtor.
Quòd verò Olympi pandis, & oſtia
Claudis, nec vllis hoc datur Angelis
Quamuis ſolutis iunctione:
Quippe vicem geris ipſe Chriſti.
Qua Muſa tantum Pontificem lyra
Cantabis? amens cur petis ardua,
Et viribus maiora? vincens
Pone tuas onus vſq; curas.

IOANNI AVSTRIO CAROLI V. Imp. F.
Ode III.

VATES Deorum pignus, & aureum eſt
AEternitatis lumen, & ætheris
Cuſtos, & interpres futuri
Temporis, ac venientis horæ;
Vitæq; nobis explicat exitum
Aetate prudens augur ab vltima,

Aſtrum ſalutare, atq; flammã
Luce Iouis meliore lucens.

Deſiderato non patet omnibus
Felicitatis ianua limine:
Rectè nec aduerſo ſecunda
Fertur aqua ratis vnca cœlo.

Nil abſq; Diuis. Quæ Dea Caroli
Curam parentis geſſit, & intimè
Prolem fouebit, thure dignam
Cœlicolûm, ſuperûmq; honore.

Ex ſtirpe fructus fert ſimiles ſui
Lignum vireſcens. Tu patrem imagine,
Cultuq; reddis: Tuq; mores,
Et patrias reuocabis artes.

Iam Muſa plectro dicere prælia,
Victaſq; turres cogitat, & Scythas
Virtute IOANNIS ſubactos,
Et Numidas, celereſq; Thracas.

Iam ſigna magnæ vidimus indolis
Sublata, fauſto lumine ſiderum;
Præſenſq; tutelare Numen
Auſpicijs regere omnia æquis.

Vates, & augur non equidem malus,
Diuina ſeruans alitis omina,
Cerno triumphos. Serta Deli
Fronde Duci Polyhymna necte.

ALE-

ALEXANDRO FARNESIO S. R. E. Cardinali.

Ode IIII.

AD defluentum murmura fluminum
In regna vaſti cærula Nerei
Et lenis emanare riuus
Exiguo properat ſuſurro;
Sic pauca dicam tenuior artifex
Percuſſa paruo carmina pectine
Inter ſacerdotes Dearum
Aonidum, egregioſq; vates,
Farneſiorum dum patria, & genus,
Et natum ad artes ingenium bonas,
Laudeſq;, ſublimeſq; honores
Mæonio celebrantur ore.
Verùm nec ipſam progeniem canam
Dijs vſq; charam, cuius amabilem
Iactat ſe alumnam Roma, mundi
Roma caput, neq; purpurarum
Fulgore, multo nec diademate
Domum nitentem, nec facilem Deum
Votis ALEXANDRI, canenda
Cuncta tuo Venuſine plectro.
Non tanta pectus vis agitat meum
Phœbo caleſcens: & ratis æquori
Formidat exilis patenti
Fidere ſe, varioq; cælo.
Orabo ſupplex temporibus nouis

Vt priſca reddat tempora, qui diem
Condit tenebris, & viciſſim
Noctem abigit redeunte luce:
Lateq; ſuaues aurea lilia
Halent odores, quos pietas polo
Demiſſa fundat quà latinum
Nomen ijt, latiæq; leges.

IVLIO FELTRIO A RVVERE S. R. E. Cardinali.
Ode V.

HYMNE, qui Pindum colis, atq; Cyrrhæ
Spiritum ſentis, citharæq; gaudes
Cantibus leni recinentis ictos
Pectine verſus;
Quemq; magnorum redimire ſertis
Præſulum crines iuuat, & virorum
Principum laudes, animoſq; eburno
Dicere plectro;
Feltriam mixto fidium canoris
Vocibus verſu celebrato quercum,
Quæ tegit multas ſpacioſa lætis
Frondibus Vrbes.
Hanc potens Iuno fouet, ac nitentes
Gratiæ, magno Ioue ſemper ignes,
Et ferum nigris prohibente ab alto
Imbribus Auſtrum.
Iuppiter quercum ſibi deſtinauit

Glandi-

Glandibus fœtam, propriamq; dixit;
Qua pios ciues, meritosq; reges
Donet Olympo.
Dum canes mores, animumq; Iuli
Hymne, ſub quercus recubabis vmbra:
Senties toto reſonare voces
Flumine ripas.

AD FERDINANDVM FARNESIVM RANVTII F.
Ode VI.

HOC dudum tibi debeo
Munus: meq; meæ tędet inertiæ.
Tandem ſubtrahe ponderi
Vrgenti grauidum pectus, & anxium
Curis ſolue Polymnia.
Tu ſpes vna meis viuida caſibus.
Iſti (nam eſt ſpecie, & patrum
Ceris, atq animo nobilis) aureos
Crines AEolia manu
Lectis Muſa precor floribus implica:
Vt nullis folijs api,
Pallentiſue hederæ frondibus, aut crebris
Pinus inuideat comis.
Virtus ipſa ſui conſpicuum eſt decus,
Flamma lucidius poli.
Ad virtutem aditum ſed tamen obſident
Cum ſudore gelu & labor.

Caſus per varios Amphitryoniĳ
Si vitam ordiar Herculis,
Inuoluam. Fugiens triſte periculum
Partus, vt noua lumina
Vidit, cum geminis fortiter anguibus
Bellum fecit, & optimum
Signum maſculeæ ſuſtulit indolis,
Viroſas manibus ſimul
Suffocans animas. Grandior opprimit
Nubis ſemiferum genus.
At virtus timido languet in otio.
Quid pugnas memorem? ſolo
Antæum Libyæ ſternit, & atterit
Membris Geryonem triplum,
Fortemq; Hyppolitam vincit Amazona.
Inuictumq; animum gerens,
Dextra tundit adhæc frontem Acheloiam;
Et currus Diomedeos,
Rectoremq; malum dilacerat ſcelus.
Quid plures? numero carent.
Flamma aurum, mala fortem exacuunt virum.
Euriſtheus referat tibi
Fortunæ dubiæ flamina, quæ Herculem
Egerunt varium diu.
Virtuti oppoſitus inuidiæ graues.
Heros prætereà impiger
Sæuis monſtra domat plurima viribus:
Lernam ſepticaput feram,
Cuſtodem Heſperidum belluam Erymanthiam,
Stym-

Stymphalim volucrem ferit,
Ac ceruam æripedem figit, & efferi
Tauri cornua ſubiugat,
Regno infeſta nimis cornua Gnoſio.
Tum vincit freti Atlantici
Fœtum, atq; exuuijs ornat Achaiæ
Syluæ terga nitentibus.
Sic virtus meritis gaudet honoribus.
Sic ad ſidera tendimus.
Poſt raptum ex Erebi faucibus æneis
Vinclis tartareum canem
Pendentes humeris Amphitryonius
Cælos ſuſtinuit ſuis.
Iam ſubtractum animum ſentio ponderi.
Perſolui tibi debitum
Maiore, vt videor, fœnore cum tuo.

IO. BAPTISTÆ CASTANEO,
Archiepiſcopo Roſſanenſium, Peruſiæ, Vmbriæq; Gubernatori.
Ode VII.

PRAESTANS ter amplo corpore Geryon,
Idemq; prudens rector Iberiæ,
Permulta rexit membra, & vrbes
Vno animo, ingenioq; eodem.
Et qui adminiſtrat munera ciuium
Diuerſa, præſens temperet omnia
Rex mente eadem. Diſſidentes

Conſilijs

Conſilijs cecidêre turres.
Non ſi gubernat vaſta per æquora
Fortuna claſſes, aut hera mobiles
Caſus ſecundat præliorum,
Sic hominum regat illa cœtus.
Modiq;, & artes rebus in omnibus.
Dicam beatos, qui ſapientiæ
Ductum ſequuti deſtinatam,
Dante Deo, tetigere metam.
Perſeus Deorum inſignibus aureis
Ornatus atram Gorgona fortiter
Confodit: ignitamq; ferro
Bellerophon domuit Chimeram.
Hæc Muſa plectro dum canit aureo,
Inſpectat arcis ſumma Peruſiæ;
Ac nomen effert cantu in aſtra
Caſtanei moderantis Vrbem.
Cui principatus mitra ſacri nitens
Inſigne adornat tempora; cui dedit
Geſtare ſceptrum, quemq: ſancto
Iuppiter excipiet Senatu.
Sic dicit vmbris iura ſilentibus,
Sancitq; pœnas integer ÆEacus:
Admiſſus arcanis Deorum eſt
Magnanimus, ſapiensq: Minos.

FVL-

FVLVIO CORNEO S. R. E. CARDINALI, & ASCANIO CORNEO militiæ Magiſtro fratribus germanis.

Ode VIII.

PVRPVRAM bacca referens rubente,
Et graui ad pugnas ſatis apta trunco,
Montium ſummo ſpecioſa gaudet
Vertice Cornus.
Corneæ gentis decus eſt galeri
Dignitas fulua rutilantis aura,
Eſt & in multis manifeſta bellis
Gloria Martis.
Fuluium Muſæ Aſcaniumq́; fratres,
Infula hunc, illum clypeo decoros,
Inclyta antiquæ celebrate verſu
Germina Cornus.
Sentiet veſtros Peruſina cantus
Gens potens armis, ſtudijsq́; legum,
Montibus felix, & opima terræ
Vbere cultu:
Lætior multo reuirente in ipſis
Montibus Cornu, meliorq́; ſanctè
Fuluio cunctos moderante ritus
Principe ſacros.
Quem nouis frater comitatur armis,
Fallere hoſtiles benè doctus artes,
Fortis & duro validas cateruas
Tundere ferro.

Fuluius

Fuluius princeps ſacer & magiſter
Militum frater facilè inter omnes
Eminent, montis velut in patente
Vertice Cornus.

GARTIÆ TOLETANO, Regiæ claſsis Præfecto, ac Siciliæ Proregi.
Ode IX.

HEROAS inter GARTIA nobiles
Toto refulget vertice, Gartia
Regale pignus, quem ſecundis
Conſilijs regit ipſa Pallas.
Nos vera virtus numine dextero
Adiuta cæli ſedibus inſerit;
Quæ frangit obſtantes procellas,
In dubijs animoſa rebus.
Aeterne mundi totius artifex,
Idemq; rector, qui varia vice
Res vnus omnes, quiq; latè
Imperio moderaris orbem,
Quæſo paternis ſenſibus accipe
Solemne votum, quod populus facit
Vnda renatus, neue caſti
Sperne lyram, numeroſq; vatis.
Prudens, & acer Gartia dextera
Victrice cogat ſub iuga ahenea
Turcas, & Afros in triumpho
Ducat ouans manibus reuinctos

Poſt terga nodis mille adamantinis.
Et Maurus atrox, & Numida inſolens,
Iam longo inultus Marte, collum
Subijciat domitum cathenis.
Partusq; doctus tendere barbaras
Arcu ſagittas, fulmina ſentiat:
Atq; ad Toleti nomen Indus
Sollicito trepidet tumultu.
Tunc Scylla nullis concita fluctibus
Demittet iras, & rabiem vorax
Ponet Charybdis: tuq; ad vndas
Glauce tuum renouabis ignem.
Et flaua ſpicis tempora vinciens
Ceres, benigno cum patre Libero
Cultusq;, ſementesq; viſet
Quadrijugo Dea vecta curru.
Iunctæq; molli in gramine Virgines
Dicent canoris carmina tibijs:
Et carmen inflatis ſonabit
Pan calamis; ſalientq; rupes.
Nec qui Triquetræ mole ſub ardua
Porrectus altis vocibus ingemit,
Fumantis Aetnæ per meatus
Enceladus vomet ore flammas.
Florens & Hyble, vincta comam thymo;
Mel dulce fundet: dulceq; flumina
Strepent Lyæi curſu, & amnes
Lacte fluent, niueisq; riuis.

FABIO MIRTO Episcopo Caiacenſium.
Ode X.

FORTVNAE aura volubilis
  Quàm non ſæpè viris æqua fidelibus.
Fortunam facilem ſuæ
  Virtutis comitem nemo habuit diu.
Sed non Auſonium mare
  Inſanum furijs triſtibus Affrici
Semper littora verberat;
  Non durus Boreas ſemper ab Alpibus
Pendentes glaciat niues;
  Nec ſemper viduus numine Cynthius
Pauit Theſſalicum pecus.
  Verſat quippe vices Iuppiter omnium.
Audet quilibet in bonis;
  At multi in proprijs non ſapiunt malis.
Rectorem ratis indicant
  Fluctus atq; procellæ; inq; periculis
Virtus eſt animoſior.
  Felix, qui ſceleris purus, & integer
Vitæ non hominum feros
  Vultus, non gladios, non mare naufragum,
Non Vulcania fulmina,
  Non Ditis metuit tartareum canem.
Conſtantiq; viro benè
  Eſt tandem. Solido prædita robore
Aduerſas Patientia

Vires debilitat. Ne ſubitis fidem
Ullam conſilijs habe.
Virtus ſola beat, non populi fauor.

AD IVLIVM BIDELLVM.

Ode XI.

EXTENTA vento carbaſa contrahe,
Littusq; remis leniter occupa;
Ne illiſa frangatur carina,
Dum propior ſubit unda portum.
Iam longa tranans æquora ſæpius
Ponti tumultus, ac Iouis impetum
Senſiſti, & Arcturum cadentem,
Atq; minas orientis Hædi:
Tum nauim in ipſo littore deliga,
Finemq; duris pone laboribus;
Mox ſolue defunctus periclis
Debita vota Deo Bidelle.
Quæ cura ſenſus diſſipet amplius?
Siue aula luxu molliat aureo?
Ignara neſcit turba virtus
Quo lateat pretioſa tecto.
Quid plura tentas, ſi citharæ ſono
Te Dijs amicum Pierides leui
Vulgo eximentes in honorum
Ordinibus poſuere vatum?
Virtutis iſthæc præmia. Sit ſatis
Per ſe ipſa virtus. Quas iaculaberis

Nubes inanes? Sed datum ſit
Stultitia caruiſſe paucis.

In obitum SICINNII PEPVLI.
Ode XII.

MORS ego vera ſoror, vultuq́; ſimillima ſomni,
Cincta latus, tamen vndiq; ferro:
Ferrea ſum, leuiorq́; feror ſpirantibus Euris,
Re nulla curſum impediente.
Hoc latus emiſſo nulli penetrabile telo eſt;
Nec cedit percuſſa ſonoro
Criſta rubens ictu; fulgensq́; adamante coruſco
Durior eſt in pectore thorax.
Arte minùs vincor, precibus nec flector amicis:
Nec gradientem vota morantur.
Quo me cumq; vocat fatum, veſtigia tendo;
Quo iubeor, properare neceſſum eſt:
Ipſa etiam regor imperijs, & numine ſummo;
Ipſa etiam mandata capeſſo:
Solus lege Deus nulla conſtringitur, ipſe
Summa ſibi lex, ſumma poteſtas.
Cui parent cuncta in varias diſcreta figuras:
Rebus enim modus omnibus inſit.
Hoc inſigne datum mihi, falx incurua, reflexo
Dente rapax: quæ ſingula certo
Improuiſa die ſecat, & mortalia fine
Quæq; ſuo pereuntia claudit.
Vltima ego mors ſum cunctarum linea rerum:

Debentur

Debentur mortalia nobis.
Hac & Alexander, totum qui vicerat orbem,
Et cecidit magni Priami vis.
Proſtraui Regem Cyrum, Xerxemq; ſuperbum,
Scipiadasq; duces, Fabiosq;.
Quòd ſi à me extinctus fortis Sicinnius heros,
Nobilis ingenio, ſtatuisq;,
Incuſanda vlli fuero? Sic fata tulerunt.
Nullum iniuſſa fero, rapio ve.
Vitarum ſeriem voluunt cum ſtamine Parcæ:
Nulla licet protendere fila.
Non eſt turpe mori, quod fert natura, ſed omne
Vitam obſcœnam egiſſe per æuum.
At veſter Pepuli lege eſt Sicinnius æqua,
Sorte ſed ereptus meliore.
Ingenio attigerat diuinæ Palladis artes,
Et ſupremos Martis honores.

SEBASTIANO TRIDERÆ.
Ode XIII.

IAM Muſa cantus dic, quibus imperes
Longis Triderae fletibus aſperè
Lugentis immatura fratris
Fata, nimis celeremq; caſum.
Quid luce caſſo carmina præficæ
Proſunt acutis mixta vlulatibus?
Quid fila parcarum querelis?
Quid ve animum premis vſq; luctu?

Nullis ab Orco queſtubus infero
Natos reduxit filia Tantali:
Seruansq; mœrorem ſub imo
Corde riget ſpoliata ſenſu.
CAnens in auras ſoluitur, acrius
Deflens amati funera coniugis:
Materq; Oloris verſa in vndam eſt:
Dat lacrymas Phaëtuſa ramis.
Vt ſylua in annos innouat arborum
Comas virentum; ſic hominum genus
Mutatur occaſuq; & ortu,
Sole ſuum variante curſum.
Mors non iuuentæ parcit amabili,
Non & ſenectam reſpuit aridam:
Vilesq;, regalesq; eadem
Vi rapidè populatur ædes.
Temnit Chironis pharmaca Theſſali,
Arteſq; ridet mors Babylonias;
Nec thure, nec placatur agna,
Nec fidibus recreatur Orphei.
Quamcunq; nobis corrigere eſt nefas,
Forti ferenda eſt ſors patientia.
Non ſemper imbres fundet Auſter,
Nec Siculi gemet vnda ponti.

HIERONYMO MANELLO Epiſcopo Nucerinorum, ac Peruſiæ, Vmbriæq; Gubernatori.

Ode XIIII.

IN ima ſomni regna deſcenſum paro
Rector ſacræ Peruſiæ;
Quæ noctis horrens vmbra, triſtisq; inuolat,
Rigatq; rore frigido.
Seruant ſoporq; blandus, & ſilentium
Fores, ligatis ſenſibus.
Hic ſomniorum tutus ipſe imagines,
Et monſtra venabor fera:
Vel illa ramis vlmus ingens contegat,
Vel mittat alto Iuppiter.
Hic ſtant eburno inſtructa poſte limina;
Vbi accubant inſomnia.
Quæ dormientes ſiue inani territant
Timore, ſiue ſpe efferunt.
Reſpondet illinc oſſeum breue oſtium;
Mittuntur vnde ſomnia
Non vana, verùm nota tantùm vatibus.
Diuina quæ ſcientia eſt.
Mox inde cum præſtantibus viris mihi
Non parua erit contentio;
Qui cuncta vana prædicant. Sed ſi mihi
Adſis, agetur res benè.

In Cæſarauguſtanum Exactorem vectigalium.
Ode XV.

O Cæſarauguſtane vectigalium
Exactor improbiſſime,
Auare, inique, machinator artium,
Rodas quibus pecuniam;
Qui iura vectigalium rogas tuo
Rex, derogasq; commodo;
Dic quæſo (namq; ſcire me iſtud conuenit,
Rebus meis vt conſulam)
Si clarus ille martyr, atq; Apoſtolus
Chriſti, colendus vnicè,
Cui barbari crudelitas ferro cutim
Toto reuulſit corpore,
Nil præter hanc ipſam ferens Aragoniæ
Intraret in fines tuæ,
Pro pelle num quid ſolueret? Quid eſt? taces?
Hæres quid hic respondeas.
Namq; exigendi quicpiam cupiditas
Sancire vectigal monet
Nouum, atq; inauditum. Sed hoc vetat pudor
Humanitatis conſcius.
Scio quid ipſe tandem inibis conſilî
Solers, acutus, impiger.
Primùm ſeuera fronte, verbis aſperis,
Ac voce perquirès graui,
Sit cuius illa veſtis, aut cuinam vſui
Non vſitatum linteum.

Mox

Mox imperabis explicari latiùs;
Omnemq; tentabis plicam,
Si forte gemmam, vel quid auri contegat,
Iuri quod adſcribas tuo.
Et ſi ipſa pellis aureo fortè anulo
Contenta collo pendeat,
Aurum rapinæ proprium duces tuæ;
Quòd non renunciauerit.
Poſt ore blandiore dimittes virum,
Vbi tamen quid roſeris.
Sed ecce tunc rapaciores efferis
Lupis tui ſatellites
A te virum dimiſſum adibunt illico,
Prædæ ſtudentes impiæ.
Circumq; ſtabunt, & volentem progredi
Gradum iubebunt ſiſtere.
Dicentq; fas non eſſe portis egredi
Vrbis, niſi antè mercium
Tributa iuſta ſoluerit. Dein ſubdolè
Verbis monebunt mitibus,
Vt, ſi lapillos Indiæ ſecum ferat,
Vel quod metallum fulgidum,
Sibi hoc ſecretò, ac liberè denunciet:
Ni quid ſiniſtri perferat.
Se velle conſultum illius rebus benè.
O fictum, & ò os impudens?
Nam tandem vbi illum ferre nil cognouerint;
Iocis repellent acribus.
Hæc Cæſarauguſtana florens ciuitas

Et cernit, & fert turpiter?
Quid Lucianus diceret, ſi hæc cerneret?
Quæ ve atra probra affigeret?
Infamiorem perfidis te diceret
Mauris, feriſq; Thracibus:
Orciq; triſtis omnium deterrimum
Olim redemptorem fore.

IN SCABIEM.
Ode XVI.

RE ſacra tabes putris expianda,
Et mihi multis fugienda votis,
Cui parens Orcus, genitrixq; nox eſt
Filia terræ;
Peruigil cuſtos Erebi, & malignis
Acrior curis, furiale monſtrum
Ditis, & turpi ſociata coniux
Fœda Charonti;
Quæ cupis blandè vitioſa tangi,
Et calens tactos mage aduris artus,
Ac ſimul rides, & amica riſu
Fallis amantem;
Pruriens tabes, inimica ſomno,
Dira, nec mollis patiens quietis,
Semper ignito cruciata olentis
Sulphure Auerni;
Peſtis inuiſo rabie acta morbo
In tuum iam iam caput vlceroſum

Hoſtiam macto meritam, atq; voto
Obligor omni.

AD DONATVM TVRRIVM
Peruſinorum Epoſcopi Vicarium.
Ode. XVII.

DONATE Turri quæ tibi tormina
Torquent iniquis viſcera viribus?
Depaſcit inſanoq; corpus
Igne febris, profuga quiete.
Morbo laboret vir ſacer improbo?
O dura noſtræ conditio breuis,
Fluxæq; vitæ? quæ ve morbis
Nos varijs dedit ira Diuûm?
Pandora cælo lapſa potentium
Nutu Deorum, pixide in aurea
Poſt furta flammarum Promethei
Condidit omne genus malorum.
Conuênit ac mox ſtultum Epimethea:
Cui pauca dixit. Dij tibi cælites
Hæc dona mittunt: ipſe per te
Vas aperi, ſapienſq; ſerua.
Et vana verſans ſecum Epimetheus,
Spernenſq; cauti verba Promethei,
Detexit vrnam: è qua malorum
Terribiles micuere formæ.
Tunc dura lethi viſa neceſſitas,
Multuſq; terris incubuit dolor,

Tri-

Triſteſq; morborum cohortes
Parte leues ſaliere ab omni.
Stultuſq; prudens poſt mala fit, velut
Piſcator ictus, cùm rapidas febres,
Omneſq; ſerpentem per artus
Ictericum, Herculeumq; morbum,
Ac fœda Pſoræ conſpicit vlcera,
Imoq; ſentit corpore vermina,
Tentatur & tuſſi maligna,
Et macie tenuatur ægra.
Iactat vir amens ſe, cupidus modò
Verbis inanem carpere gloriam:
Rebuſq; in aduerſis proteruus
Conuicijs ſuperos laceſſit:
Nos thure, & aris impoſitis iuuat
Placare Diuûm numina victimis:
Terræq;, cælorumq; regem
Supplicibus ſuperare donis.
O qui in ſupremo viuitis æthere,
Morbis carentes, ver vbi floribus
Exornat ædes, atq; Sole
Perpetuo reparantur horæ,
Hunc ciuitati veſtra benignitas
Deſideratum reſtituat virum.
Sæpe è procellis cymba littus
Luce breui tenuit ſecundum.

AD

AD LAVRENTIVM GAMBARAM. Ode XVIII.

Picarum numerus plurimus eſt : rara ſoror Prognes.
Non omnes Iouis ales rapit ad pocula eburnea.
Natura Duce rectè ſequimur, quæ datur aſſequi.
Quis contra ſuperos vlla gerat bella Typhoëa?
Ad cælos homines, ſi faueant, numina prouehunt.
Vates laurigeros Phœbus amat. Nil ſinè Apolline:
Cui cordi tua Muſa eſt mihi chare, atq; ſodalibus
Laurenti, folijs digne ſacris tempora cingier.

FRANCISCO LVPIO. Ode XIX.

VESTRIS amici fontibus inclytæ
Muſæ decoris tempora honoribus
Ornate, laudataq; ſancti
Fronde comam redimite vatis:
Illum & Deorum morte carentium
Summis locate in ſedibus aureis:
Interq; cælorum ſuperbas
Emineat ſpecioſius arces.
Vir purus omnis flagitij, & nitens
Intaminatis crimine moribus,
Æquè peritus Chriſtianæ
Legis, & egregius ſacrarum
Rerum miniſter, gnarus & arduos
Orbes rotantum ſcribere ſiderum,

Et iura communis parentis
Dicere, multiplicesq; vires,
Caſtis Mineruæ muneribus potens,
Humaniorum tum bonus artium
Rectè colendarum magiſter,
Heſperiæ celebratus oris.
Ille ore grato dulcia dum modis
Fundet ſonoris carmina, geſtiet
Olympus, exultans vtroq;
Vertice, luminibusq; fulgens.

DIDACO FERNANDEZ BOBADILLÆ
Chinchoniorum Comiti, ac Regis
Catholici PHILIPPI II.
domus Præfecto.

Ode XX.

SI veſtra Muſæ carmina Lesbijs
Pulſata neruis pectora leniunt,
Aureſq; mulcent obſtinatas,
Et fluuios celeres morantur,
Verſus ſonoro dicite pectine,
Afflante Phœbi vi, quibus applicet
Aures vir excellens, domuſq;
Egregiæ Bobadilla princeps
Ad Viperani nomen. Ego viri
Laudes, honores, nomina principis
Lauro coronatus per orbem
Threïcia referam camœna.

PETRO BOBADILLÆ DIDACI FERNANDEZ BOBADILLÆ Chinchoniorum Comitis, ac Regis Catholici PHILIPPI II. domus Præfecti F.

Ode XXI.

SEMPER parentum gloria, quam nitens
Virtus benigno numine procreat,
Natoſq; , natorumq; natos,
Et patrium genus omne clarat.
Laudiſq; veræ pignora poſteris
Seruanda cunctis integra ſeculis
Commendat; imponitq; legem
Turpe nihil facere, atq; ferre.
Te Petre auorum nomina, & optimi
Splendor parentis plurimus excitant
Virtutis hæredem paternæ
Ad titulos, meritoſq; honores.
Primis in annis dum tua mollior
Ætas auitis fingitur artibus,
Natura quò te ducit vltro
Carpere iter decet vſq; rectum,
Læua relicta. Sic bonus Hercules
Seruans vigorem pectore patrium,
Peruenit optatas ad arces;
Et ſuperos micat inter ignes.

AD SIGISMVNDVM FLOREM. Ode XXII.

QVALIS reticulo cingitur aureo
Argenti facies candida, & inſita
Fulgens luce pyropus
Fuluo clauditur anulo:
Virtus in niueo corpore gratior;
Cui natura dedit ſidereum decus,
Indo quale ebori addit
Prudens artificis manus.
Oris forma decens, blandaq; gratijs,
Atq; intacta virens inſpicientium
Senſus ſurripit, æquè
Ac magnes chalybem trahit.
Et dulci capiens pectora faſcino,
Conſtringit facili corda tyrannide,
Non ferrum, neq; virus
Occultum metuens malum.
Quæ Diuûm nitidis ſplendet honoribus,
Nulli inuiſa, coli dignaq; ab omnibus.
Mortalesq;, Deosq;
Oblectat color, & decor.
Pulcher Tantalides æthere in arduo
Aſtrorum dominis pocula diuidit;
Magna in templa tonantis
Idæus rapitur puer.
Quo non inferior nec ſpecie, neq; es
Sigiſmunde domo, nec docili indole,

Pomo

Pomo dignior, ira
Quod victas ſtimulat Deas:
Si caſtis animum rexeris artibus,
Impuris timidus tingere ſordibus
Mores, & ſapienter
Vtens muneribus Dei.
Hæc eſt forma, Deos quæ ſuperos mouet.
Inq; hoc te ſpeculo conſpice ſæpius:
Quod virtute decorum
Puro ſplendidius vitro eſt.
Non in purpuream te tua candida
Vertet forma roſam; ſed tibi lucida
Inter ſidera cæli
Signo cedet Aquarius.

GABRIELI SAYAS
Regis Catholici PHILIPPI II. à Secretis.
Ode XXIII.

PHOEBI numine Gratijs
Sacra in templa feror. Sanctæ Heliconides
Mecum ferte precor pedem:
Et pulchræ Dryades floribus auream
Vinctæ purpureis comam
Iungant ſe ſocias de viridi iugo.
Illic grati animi decet
Signum perpetuum ponere; & optimis
Aedem ſpargere odoribus
Pro Sayas animæ dimidio meæ.

Quem morbi laqueis mihi
Longis explicuit Iuppiter optimus,
Dignum laude ſacra virum:
Quo non eſt alius ſanctior, aut boni
Atq; æqui ſtudioſior.
Aduerſus nocuis, in miſeros pius,
Contemptorq́; pecuniæ,
Quæ mentes hominum ſæpius obruit,
Muſis inſuper obſequens,
Ac regi domino fidus, & integer
Se, nomenq́; ſuum, & genus
Commendat ſtudijs iam ſatis omnium.
Pro quo non metuam mori:
A quo multa tuli. Non perit in loco
Quæ rectè ſita gratia eſt.
Semper chara mihi muſa Polymnia
Aras ſupplice dextera
Inter vota tene. tu cytharæ ſono
Iunctis carminibus domos
Delinis ſuperûm. Iuppiter optime,
Qui ſummo imperio regis
Terras frugiferas, & vaga ſidera,
Caſtæ iuſtitiæ parens,
Aſpiraſq; bonis mentibus, & malas
Curis acribus implicas,
Virtutem ipſe viri candidam ab ætheris
Alta ſede benigniùs
Illucente tuô conſpice lumine:
Atq; inſigne genus foue

Diuinis

Diuinis ſtudijs maxime Olympie.
Me dum fata ſuperſtitem
Terris eſſe ſinent, dum nitidæ fruar
Lucis muneribus, magis
Non viuam ipſe mei, quàm memor illius.

AD ANTONIVM THEOPHILI. Ode XXIIII.

SI vatis ſiculi non benè condita
Iniucunda minùs ſunt tibi carmina,
Cùm ſit magna mei pars tibi nominis,
Mirum nulli equidem eſt. non tamen in choris
Me pones lyricis: in quibus eminet
Latè conſpicuo vertice Pindarus,
Alcæusq; potens pectine Lesbio,
Et plectro facili mollis Anacreon,
Romanæq; lyræ dulcis Horatius
Laudatus fidicen. Non ego fluminum
Dilapſa è rigidis agmina montibus
Refreno fidibus lene ſonantibus;
Non ventos celeres demoror, aut Nothi
Compono rabiem Threïcijs modis;
Non aures tigrium carmine mulceo;
Non ſyluas numeris Biſtonis Orphei
Duco, queis potuit flectere tartara.
Eſt me in ſorte mea voluere tutius.

AD B. MARIAM DEIPARAM.
Ode XX.

O Virgo cæli ianua, & æquoris
Regina, claro ſidere pulchrior,
Amicta puro Sole, per quam
Conciliat Deus ima ſummis,
Lux Angelorum candida, Dæmonum
Terror malorum, ſpes hominum, & ſalus,
Quam nobilis Meſſana ritè
Pileria veneratur æde;
Te nauta multis, cùm tumet aſperis
Aequor procellis, ominibus vocat;
Nec ſpernis vnquam te vocanti
Subſidium bona ferre in vndis.
Hæc pauca vates do tibi carmina,
Quæ dona paruus protulit hortulus,
Quòd hanc profundo liberaſti
Sæpè animam Dea magna ponto.
Qui nulla ſentit numina Virginis,
Quæ prima ſummo cura fuit Deo,
Regnare nec credet tonantem,
Ac varijs dare iura rebus.
Ipſe obligatum me tibi ſentio;
Totumq; matri me dico Virgini,
O portus, humanæq; tutum
Confugium, columenq; gentis.

IO. ANTONII VIPERANI CARMINVM

LIBER II.

Omnia à DEO.

Ode I.

VNAM amo Polymniam.
Suus cuiq; ſenſus,& libido.
Dulce Apollinis decus.
Stella refulgens candida in-
ter ignes :
Lucidi vagos poli,
Doctáq; pulſis conſonare
chordis
Mercuri parens lyræ,
Affla precantis pectus, & ſoporem
Pelle, qua domos manu
Torques inanes, atq; regna Ditis.
Túq; Sol potens nigræ
Velum reſcinde noctis, atq; curſum
Per fluenta dirige
Optata vati, lucis auctor almæ.
Phœbe te ſacer chorus,
Thalia, Clio, Euterpe, & ore, & arcu

Nobiles Deæ colunt
Terræq; ſummum, ſiderumq; regem.
Vltimâ Venus prece
Vocata nobis ritè, cumq; Nymphis,
Cumq; Gratijs ades.
Curas, iterq; mollies. Tu amica,
Tu venuſta, tu placens
Dea, & leuamen omnium laborum es.
Per te ego iam in alitem
Mutatus album per Latina fundam
Arua Lesbios ſonos.
Audax voluntas, ingenîq; motus
Eſt celer: ſed vna nos
AEternat, orta Gratijs, Venuſtas.
Sunt & ab Ioue omnia.
Ornes ſecunda: aduerſa ferre tutum.

REGI CATHOLICO PHILIPPO II.
Ode II.

EST honor ſummo ab Ioue. Muſa cælo
Grata cum Nymphis ades, & PHILIPPI
Regium magni genus, & ſupremos
Concine honores.
Cui dedit ſceptrum, Themidisq; iura
Iuppiter regum pater, atq; auitis
Artibus latè regere, & ſecundo
Omine terras.
Aureum ſceptri decus: inter omnes

Sol

Sol poli æternos micat almus ignes.
Rege nil maius. Deus alter ille
Aſt Ioue ſummo eſt.
Temperat ritus, hominumq́; cultus
Legibus certis, validasq́; habenas
Vrbium tractat facili arte pacis
Candidus auctor.
Imperî qualis columen ruentis
CAROLVS rector populorum, & acri
Mente, & inuicto metuendus idem
Hoſtibus enſe.
Vnde magnorum noua lux parentum,
Vnica & Diuûm ſoboles PHILIPPVS,
Laurea crinem merita reuinctus
Sceptra recepit.
Hoc duce, inceptis modò ſempiterni
Cælites (vobis datus ille curæ eſt)
Leniter veſtri faueat benigni
Numinis aura,
Cedet inuictis latus omne mundi
Auſtriæ ſignis, Thetidisq́; fluctus;
Et triumphatis ſuper aſtra terris
Fama feretur.
Regiam nuper volucrem, & miniſtram
Fulminis læta ſuperare penna
Vidimus longè poſitas columnas
Finibus orbis.
Horret inſuetos aquilæ volatus
Indus, & nullo domitus triumpho

Cannibal fortis meditatur armis
Cedere Iberi.
Audeat poſthac minùs inſolenter
Nauibus circùm volitare longis
Littora, aut largis equitare campis
Improbus Afer.
Turca cum Perſis noua iura, regi
Seruiens vni, colet. Ara multo
Flamma odoratum ſubigente fumum
Thure calebit.
Fila quæ cælo trahitis, ſorores
Temporum Parcæ, Ioue comprobante,
Penſa verſatis pretioſa longè
Ducite fuſis.

IOANNI AVSTRIO
Turcarum victori.
Ode III.

QVI Chriſtianis vrbibus vltima
Hoſtis parabat funera, bellico
Feruens tumultu, Chriſtiana
Vi cecidit: dedit atq; collum
Victus cathenis, nunc rabiem Iouis
Incuſat amens; fataq; triſtia
Plenis querelarum fatigat
Carminibus. Tua dextra proles
Inuicta regum, dignaq; CAROLO
Parente, cuius nomen ad vltimos

Peruaſit

Peruaſit Indos, barbarorum
Marte graui domuit cateruas,
Et tecta forti numine cælitum
Aerata fregit robora nauium,
Sparſoq; Turcarum cruore
Ionias tepefecit vndas.
Vxor maritum Thracia belluis
Ponti vorandum plorat: Echinadum
Thrax nomen inuiſum perhorret,
Auſtriaci iuueniſq; ſigna.
Sic curæ edaces, & metus, & dolor,
Luctuſq;, nigræ finibus Italis
Pulſæ cohortes prouolarunt
In varias Orientis oras.
Infanda Selim fracta ferocia eſt.
Da thura flammis. Nos etiam Ducis
Auguſta IOANNIS trophæa
Pierio recinemus arcu.

AD GREGORIVM XIII.
Pont. Max.
Ode IIII.

QVANTO parua ratis concutitur ſalo?
Compages laterum dux maris improbi
Frendens penè reſoluit
Longo verbere fluctuum.
E ſummo Boreas vertice, & Affricus
Ex imo axe ruunt: hinc Zephyrus fremit

Nimbo

Nimbo armatus iniquo,
Hinc Eurus tumidus furit.
Vnà omnes pelago turpiter incubant;
Attollunt, ſimul atq; æquora deprimunt:
Nunc ponto vnda reſidet,
Nunc cælos cumulo ferit.
Obductusq́; polus nubibus intonat,
Noctisq́; in tenebris emicat ignibus.
Tentant cuncta ruinam
Paruæ non meritam rati.
Rector, ſi ſapias, perlege, dum licet,
Tutum ſidereis numinibus ſinum.
Ne fidas caue nauim
Inſido nimiùm mari.
Sentis vt crepitet malus, & ingemant
Antennæ, & lacerent flamina linteum?
Cur ſe trabs tua ventis
Fruſtrà ludibrium paret?

SERENISSIMO ALBERTO
Archiduci Auſtriæ, ac S. R. E. Cardinali.
Ode V.

NON ſi Lycurgus ſenſit Apollinis
Cæleſte numen, non etiam bonus
Vates Homerus ſenſit alto
Corde Deum, Clarioſq́; motus.
Et ſi receſſus rex Numa, virgine
Vocante Nympha, quærit Ariciæ:

Et

Et Pana regnantem Lycæo
Pindarici rapuere cantus.
Et qui cothurno Cecropio præit,
Excepit ipſum tecto Epidaurium.
Vitaq; migrantis poëtæ
Dij ſuperi coluere funus.
Vates eburno pectine cælites
Oblectat, idem pictor imagines
Illuſtrat inſignes, & Orcus
Decipitur fidibus canoris.
Nullæ abſq; Diuûm numine gratiæ.
Ad certa fingit munera quemlibet
Mortalium cæleſte fatum;
Quod rapidis dominatur aſtris.
His ſceptra donat lumine Iuppiter
Claro refulgens; hos pater improbus
Vrget maligno ſidere; illos
Mars agitat per acuta bella.
Me, quem Deorum nuncius aliger
Naſcentem in auras aſpicit ætheris
Ex æde nona cum benignis
Tyndaridis, dicat ipſe muſis.
ALBERTE proles aurea, lux noua,
Splendor parentum, ſi fueris bonus,
Præſensq; muſa Viperani,
Per varias ferar orbis oras.

AN-

ANTONIO CARRAFÆ S. R. E. Cardinali.
Ode VI.

Me non è Pario marmore Dędalus
Vultus edocuit ponere fortium
Heroum, monimenta
Muta, & pondus inutile:
Sed docti ſapiens filia Pieri,
Aeterniq; parens optima nominis,
Gratarumq; magiſtra
Non ignobilis artium,
Annis à teneris inſtituit modis
Cantus Pindaricis ducere Thracios
Certo non ſinè Diuûm
Iuſſu cuncta mouentium,
Spirantes ſtatuas numine Delio:
Quas princeps Patareus Hæmonio in iugo
AEuum ſacrat in omne
Famæ, Dijsq; potentibus.
Sed laurum meritam ſume Polymnia,
Mortales ſuperûm Muſa beans choris,
Quæ pulcherrima velet
Sacri tempora principis
Antonî. Hic trabea clarus, & omnium
Virtutum titulis notior, omina
Ni fallunt, generosè
PETRI nauiculam reget.
Et reddet populis omnibus otium

Germanum

Germanum placidæ pacis, & horrida
Terræ monſtra refringet,
Atq; omne eijciet ſcelus.
Virtus priſca aderit, ſanctaq; caſtitas,
Culpariq; timens & pudor, & fides:
Fœcundumq; bonorum
Cornu copia porriget.

AD IO. BERNARDINVM RASTELLIVM. Ode VII.

Quid prodeſt cæli immenſos percurrere campos,
Atq; Iouis tranare meatus?
Quæ ve cadant ſubter labentia cernere ſigna,
Quæq; oriens producat Eous?
Aut radio ſignare viam, Soliſq; labores,
Ac Lunæ dignoſcere vultus?
Vir quidam ſapiens olim dum ſidera pergit,
Et ſpectare polum radiantem,
Præſentem in foueam pronus ruit antè videndam.
O magnos ſapientis honores.
Stultitia eſt noſtris oculos auertere rebus,
Et luſtrare domos alienas.
Dum pennis audax nimiùm ſublimia tentat,
Perq; vias homini ire negatas
Dędalides, ruit, & triſti dans nomina ponto,
AEgæis tumulatur in vndis.
Si cordi eſt conuexa alti iuga viſere Olympi,
Hinc ſtellas ſpectare cadentes,

Blandis

Blandis illecebris mentem, vitijsq; neceſſe eſt,
Atq; iocis caput exeruiſſe.
Nil Bacchus, nil compta Venus, nil vana frementis
Signa fori, nec Martia proſunt.
Phlegræi cælos auſi conſcendere, montes
Montibus impoſuere Gigantes.
Sed Deus omnipotens immania corpora flammis
Diſiecit iaculatus ab alto.
Hinc grauis AEtna premit vomitantem faucibus ignes
Enceladum; validusq; Typhœus
Impoſitæ gemit Inarimes ſub pondere vaſto;
Combuſtusq; Mimas dolet vſq;.
Non aditus patet ad cælos, vt Theſſala tergo
Suſtineat te Pelion Oſſa.
Hic opus Herculeis animis, hic quæritur Atlas,
Et cinctum ter robore pectus:
Quod non delitiæ, quod non labor improbus vllus,
Nec caſus perfringat iniquus.
Externas paucis licuit tempſiſſe figuras;
Ni quos vexit ad æthera virtus.

M. ANTONIO COLVMNÆ Siciliæ Proregi. Ode VIII.

FRONDOSA Pindi qui nemora incolit,
Fontem ve purum Caſtaliæ bibit
Vates, coronatus capillos
Fronde ſacra, viridiq; Lauro,

Totis

Totis merentem viuere ſeculis
Virum ſupernis conſecrat ædibus:
Nomenq; lethæis ab vndis
Vindicat, horribiliq; nocte.
Laudata virtus ſidere clarior:
Viuetq; Vlyſſes tempora in omnia,
Et qui igne comburente Troiam
E medio rapuit parentem.
Hunc quippe vates, Mantua quem tulit
Tardè fluenti proxima Mincio,
Illum poëtarum magiſter
Calliopes celebrauit arcu.
Te noſtra ſanguis Marce Quiritium
Raris decorum dotibus ingenî,
Sceptroq; regali verendum,
Muſa canet reſonante plectro.
Nec conſilî expers ſana potentia eſt;
Nec multa tentat mens ſinè viribus.
Tu glorioſè prædicandus
Duxq; potens, ſapienſq; rector.
Si te imperantem non cohibet modus,
Inſanientem cæca licentia
Abducet; incertumq; vitæ
Exacuet furor, & libido.
En rex Achiuûm conſilio ſenis,
Hæretq; Achati dux bonus Ilij:
Quod mille ſubuerſum carinis
Stulta tenet monimenta regum.
Et Iuno coniux, atq; ſoror Iouis

Auguſta

Auguſta gaudet colloquio Deæ,
Quæ legibus ſparſos in agris
Vnà homines ſociauit æquis.
Hanc dum cerêbro fert pater omnium,
Inſueta ſentit pondera: mox fabrum
Accerſit ex Aetnæ caminis:
Ac trepido venit ille greſſu.
Cui pauca pro re diſſerit. Eſt tua
Vulcane fili nobilis hoc caput
Patris bipenni diſſecandum.
Obſtupuit, metuitq́; verbis
Vulcanus iſtis. Iuppiter acriùs
Inſtat, Deorùm rex ergo Iuppiter
Volo, atq; mando: tuq́; dextra
Incute, ne trepida, ſecurim.
Aſt ille. Diuûm maxime cogimur
Parere, iuſſum mens licet horreat.
Doctisq́; vibrato lacertis
Summa petit faber acer ictu.
Tunc virgo præſtans corpore prodijt
Claras in auras ætheris; & nouis
Effulſit armis. Viſa res eſt
Mira oculis, animisq́; Diuûm.
Inq́; ipſo Olympi culmine conſtitit;
Totusq́; circùm contremuit polus.
Dein fœtu inenarrabili auctos
Sic ſuperos pater alloquutus.
Hæc Virgo, noſter quam dedit inſolens
Partus reſecto vertice, nomine

Pallas

Pallas vocetur, digna ſcribi
Ordinibus ſuperûm beatis.
Hæc ornet vrbes, hæc regat oppida,
Hæc vna cuſtos ſit ſapientiæ;
Mortalium quæ vita, quæq; eſt
Spiritus inſinuantis orbis.
Vos, & tenentes infima, debitis
Dignate caſtam Pallada honoribus.
Sic fatus: aſſurgensq; dictis
Annuit alma cohors Deorum.

IOAN. BAPTISTAE CASTANEO
S. R. E. Cardinali.
Ode IX.

DIGNVM tiara, & purpurea toga
Baptiſtam in ipſo concilio Patrum,
Quos Cardinales nominamus,
Inſeruit pia cura Diuûm.
Eſt ille amicus ſummus, & integer
Muſis, ſacrarum cultor imaginum,
Floresq; virtutum ſupremos
Libat, api ſimilis Matinæ.
Sors nata cælo munera diuidit,
Et iunctim amicis gaudia porrigit;
Lateq; virtutis refulget
Clarus honos, nitidumq; lumen.
Stultasq; mentes experientia
Magiſtra rerum nobilis arguit;

Turpiſq; famæ infringit alas,
Inuidiæ fugat atq; nubes.
Æterne rerum conditor omnium,
Qui cuncta caſto numine permeas,
Dextraq; concludis rotatus
Sidereos, digitiſq; cælos
Metiris altos, & regis ordines
Mundi ſuperna cum ſapientia,
Veroſq; diſpenſas honores
Terrigenis, ſuperiſq; Diuis,
Baptiſtæ amico dirige numine
Greſſum ſequentis ſigna fideliter
Virtutis; & præſta merenti
Herculeas tetigiſſe metas.

IOANNI ZVNICÆ
Petrapertiæ Principi, ac Neapolis Proregi.
Ode X.

QVEM multis precibus Parthenope vocas,
Præſentem ecce vides inſtar Apollinis
Longo noctis ab imbre
Proregem à Zunica genus.
Mundum purpureis æthra coloribus
Diſtinguit; nitidos Sol reuehit dies;
Sæuos frenat in antro
Auſtros impiger Æolus.
Et ventis placidum ſtat mare, & æquora
Nautæ peruolitant, Nereïdum chorus,

Sire-

Sirenesq; puellæ
Componunt noua carmina.
Iô cum pueris dicite Virgines;
Et plenis manibus ſpargite lilia;
Seu cùm ſurgit ab ortu
Sol, ſiue Oceanum ſubit.

AD FABIVM MIRTVM Archiepiſcopum Nazareth. proficiſcentem Nuncium in Galliam. Ode XI.

Quò ſic diſtraheris pater?
Diſceſſumq; paras hoc Ioue frigido?
Cùm ſyluæ glacie rigent,
Conſiſtuntq; gelu flumina vitreo?
Et cingit niuibus iuga
Alpinus Boreas aſpera montium?
Sæuitq; axe ſub arduo
Arctos Parrhaſio nata Lycaone?
O vitæ labor improbus?
Cur tantis ſtudijs pectora frangimus?
Nunc terras alio ab Ioue
Regnatas miſeri quærimus vltimas;
Nunc ponti rabiem trabe
Tentamus fragili: nullaq; nos mali,
Infamisve periculi
Deterret facies. Sed tibi plurima
Expoſco prece ſupplici

Præſentes ſuperos, & bona numina.
Vultus mitior ætheris;
Et cæli faueant candida ſidera;
Ac curru vehat aureas
Noctes Luna micans, & radijs nitens
Sol claros referat dies.
Iuſtos ipſa Dei vis ſacra dirigit.

IN ASINIVM MEDICVM. Ode XII.

HEI quid veneni ſæuit in præcordijs,
Senſus quod extinguit meos?
Irritat altè viſcera; & tumens iecur
Exurit atris ignibus,
Corpusq; totum eneruat, atque artus graui
Languore ſenſim corripit.
Hoc ne eſt ſalubre poculum AEſculapij,
Ciens in auras mortuos?
Hæc cuncta morbi genera pellens potio
Senis verendi Hippocratis?
Tu, qui valentem me benè ægrotum facis,
Tantisq; morbis implicas,
Atque immerentem cogis ad mortis fores
Mali veneni poculo,
Dum ſanitatem velle te dicis meam
Seruare perdiù integram,
Vel imperitus artifex, quod inditum
Iam ſorte nomen indicat;

Vel

Vel es nefaſta luce terris editus
Addicere Orco plurimos,
Ditis miniſter, & Charonti ad munia
Funeſta compar additus.
Vnum dolendum, nempe quòd tibi licet
Impunè nos occidere.

IN SPES INANES.
Ode XIII.

EST felix ter, & amplius,
Qui nullis animum rebus ab exteris
Suſpenſum miſerè tenet.
Non omnes ſapiunt: ſed docet vltima
Non vitanda homini dies
Quæ noſtris ſtudijs ſint rata præmia.
His nunquàm periens iecur
Depaſcit Tityi vultur edax auis,
Atque inuiſa Prometheo;
His lapſura ſilex ſtat capiti ſuper,
Tormentum Lapithis graue;
Hos ſicci cruciant flumina Tantali;
Hos vana amphora Belidum.
Cur feſſis manibus perpetuò iuuet
Saxum vertere Siſyphi?
Quos vitæ fragili moliar aggeres?
Spes fallax vigilantium
Multis ſollicitat pectora ſomnijs.
Errant res hominum leues:

Semper nemo beatus fuit, aut miſer.

AD SINIBALDVM PANERIVM. Ode XIIII.

O quies paucis benè nota paucos
Excipis paruo lare, tu ſenectæ
Mater, & pacis ſoror, & Deorum
Conſcia mentis.
Ambit hic magnis ſtudijs honores,
Inuidens ſceptris, domibusq; regum:
Certat & molem penitus propinquam
Ducere cælo.
Hunc fori clamor iuuat: hunc tubarum
Clangor, & Martis furor, atq; fulgor,
Nec timet quicquàm maculare dextram
Sanguine fratris.
Abditas terræ fodit ille venas,
Viſcera & duro cauat ima ferro,
Semen vt noſtris vitijs repoſtum
Eruat aurum.
Tranat & latos maris iſte campos,
Iungat vt Medam Tyriamq; gazam:
Et miſer tantos animi inter æſtus
Ocia quæret?
Tuta ſemotus Sinibalde ab vndis
Inuidæ plebis vada ſtringe remis;
Et legat certo tua cymba curſu
Littus amicum.

Ne

Ne ratem credas pelago patenti,
Vela nec ventis nimiùm ſecundis.
Sæpe felicis metuit carina
Flamina Cori.
Aura Fortunæ furit in ſuperbis
Rebus, in paruis minùs illa ludit:
Imminet magnis, neq; ſumma longo
Tempore perfert.
Verberat turres pluuioſus Auſter,
Mugit & longas Aquilo inter alnos,
Terret ac diro iuga fulminator
Iuppiter ictu.
Non ego Perſæ nitidi apparatus
Appetam, veſtes neq; purpuratas,
Non opes Indi, neq; Gangis aurum,
Nec tua Creſe
Tecta, quæ centum teretes columnas
Opprimunt ſaxo Pario reciſas.
Sæpius claram domus alta caſu
Lapſa ruinam
Edidit. Sed me caſa parua caſtas
Sentiet plectro celebrare muſas;
Sentiet ſeptem reſonare Phœbi
Carmina chordis.

AD BERNARDINVM PERINELLVM. Ode XV.

VENTVRA nulli fas hominum fuit

Prænoſcere vnquàm: quæ tenebris tegit
Caliginoſis temporum rex,
Et ſapiens dominator Orbis.
Hinc multa noſtris ſæpius accidunt
Aduerſa votis: quæ neque victimis
Prauidit vllus, nec periti
Augurio, lituoq; Tuſci.
Nec quicquàm Atlantis profuit artibus
Tentaſſe cæli ſidera mobilis;
Taurive mactati cruore
Tartareos reuocaſſe manes.
Rex, qui ſuperno numine temperat
Summas & imas res, ſapientiæ,
Per quam creauit cuncta, recto
Arbitrio regit vnus orbem.
Stet mens vegetis integra viribus,
Viſasq; Diuûm templa frequentius,
Expers timoris ritè vitam
Cum Ioue tranſilies beatam.

IN SPHAERAM ARCHIMEDIS. Ode XVI.

QVISNAM ferentem ſidera machinam,
Orbesq;, & axem condidit artifex
Mirandus, obliquosq; curſus
Luciferi, gelidæq; Lunæ?
Mens ipſa, quæ artes repperit, æmula
Naturæ, & omnem vitam hominum regit,

Virtu-

Virtute præſtans, & nouarum
Multum adeò ſtudioſa rerum.
Mens namq; terras ipſa perambulat,
Lignoq́; fidens peruolat æquora,
Pennisq́; compoſitis pererrat
Aërios, vacuosq́; campos:
Cæliq́; ad arces peruenit vltimas,
Diuûmq́; ſedes, & penetralia
Rimatur; inſuetaq́; ſtellis
Materie fabricatur ædes.
E prominenti Iuppiter æthere
Hanc vidit, àtq; arriſit: & inſuper
Miratus humanos labores,
Hæc ſuperis dedit ore Diuis.
Arcana tantis quid iuuat orbibus
Celaſſe terris, ſi ſubeunt polos?
Mortalibus nil ardui iam
Ampliùs ò ſuperi relictum eſt.

AD FICVM.
Ode XVII.

IVPPITER cælo grauiore cunctas
Perdidit ficus; tamen vna fætu es
Læta non læſo, magis & beata
Fructibus arbor.
O loco ficus, dominoq; tali
Digna, ſic multos vigeas in annos:
Pande non vnquàm viduanda prole

Brachia

Brachia circùm.

Ne quid infeſtet borealis horror,
Faſcinus lentos vitietve ramos,
Dedicem cui te magis? Eſto Teclæ
Virginis arbor.

AD FVLVIVM CORNEVM S. R. E. Cardinalem.
Ode XVIII.

Phaëtontis labor omnes variatis
Vicibus res nouat: idem regit horas
Properè ſollicitas ſidereo vertier orbe.
Fera iam æſtas parat incendia in agris,
Sitientesq; dies ſolibus affert,
Et iniquo canis ardore grauis terra fatiſcit.
Fragiles cura regat prouida vitas
Hominum: teq; tibi Cornee ſerua,
Sapiens atq; tuo ſolue graues pectore curas.
Quid atrox quære canis poſtulet ardor.
Amat vmbras, amat auras pecus omne,
Amat & per virides flumina labentia ripas.

IN MORDACES.
Ode XIX.

QVOD iſtud eſt hominum genus, nequam, inuidum,
Prauum, ſceleſtum, garrulum;
Quos ſemper obtrectare lingua, & carpere

Iuuat

Iuuat caninis dentibus?
Quos ne in Deorum quid pudet frequentiæ
Malè ominata proloqui?
Ii cuncta rectè facta quorumuis modo
Quocunq; poſſunt vellicant.
Et laude dignis rebus ardent vndique
Nubes nigras offundere.
Implentq; magna plauſtra dictis aſperis,
Quæ nulla ferret nauium.
Dentata gens, infauſta, mordax, improba,
Infeſta Diuûm cœtui,
Diſcordiarum ſeminatrix omnium,
Et fons malorum turbidus:
Cui verba ſunt vt Hyſtricis ſetæ horridæ,
Et tincta felle ſpicula,
Morſusq; qualis Aſpidis ſomnum inferens,
Aut qualis atræ Hirudinis.
Credas ſatos Archiloco, & arte, & moribus
Acris Theonis præditos:
Loliginisq; hauſiſſe ſucces, & ſimul
Ediſſe nigrantem ſalem.
Doctosq; ab Hipponacte tela perfidæ
Procacitatis figere:
Quem pictor Anterinus, atq; Bupalus
Senſere mordacem nimis.
Dent, quas dedit nefanda proles Pieri,
Ranæve, pœnas debitas:
Aut quas Arachne ſoluit almæ Palladi,
Apollinive Tantalis:

Aut

Aut quas malæ artis auctor Eurynnus luit
Comantibus Dioſcuris:
Digni parum felice prorſus exitu
Mordacitatis Zoili.

MATTHÆO VASCHIO LECCÆ Regis Catholici Philippi II. ab epiſtolis. Ode XX.

CYRNOS nobilis inſula,
Quæ vaſto Ligurum denatat æquore,
Iam longas virides comas
E ponti medijs fluctibus extulit.
Et cum Nereïdum choro
Campos per liquidos, aruaq; cærula
Ad Lunæ noua lumina
Cantando choreas ducit, & aut ſalum
Impellit niuea manu,
Aut immerſa maris gurgite, vertice
Torquet ſpumigeras aquas,
Frenante in ſtabulis æquoreum pecus,
Qui ſe vertere amat ſenex
Formas in varias, oraq;, Proteo.
Leccarum illa canit genus
Alto à Romulidum ſanguine principum.
A quo duxit originem
Romani columen qui fuit imperî,
Ac verus pater Vrbium.
Qui bello domuit moribus efferas

Gentes,

Gentes, ac ſimul impijs
Diſſoluit patriam relligionibus,
Doctrinam accipiens ſacram,
Cæleſtemq; fidem: quam docuit Dei
Viui filius vnicus,
Lapſus de ſuperis ſedibus ætheris.
Hinc magni obtinuit viri,
Cognomenq; pij. Nomen is inclytum
Conſtantinus habet, quod &
Byzanti proprium mœnibus indidit.
Ex hac ſtirpe Idiginius
Clara progenitus, dum incolumis ſtetit
Res, & gloria Græciæ,
Epiri populos rexit, & optimis
Regnum condidit artibus.
Ex his prætereà regibus editus
Paulus Lecca, vir acribus
Præſtans egregij viribus ingenî,
Et belli ſtudijs potens
Rex longo tenuit tempore Corſicam.
Quam nutrit Dea ſpiceis
Sertis vincta gerens aurea tempora:
Et Liber Semeles puer
Veſtit pampineis vndiq; vitibus,
Magnæ lætitiæ dator.
E Pauli celebri germine prodijt
Leccarum eximium decus
Matthæus, veterem qui reparat domus
Labentis propè gloriam.

Na-

Naſcentem hunc gremio ſuſcipit Hiſpalis,
Florentiſſima Bæticæ
Vrbs, lato Oceani proxima littori.
Quam lambit mediam, fluens
Curſu præcipiti Bætis in æquora
Neptuni maris arbitri.
Virtutem patriam pectore poſteri
Spirant, legitimum genus.
Fructus quippe bonos ſtirps bona proferet.
Prodit ſe vigor inſitus.
At Fortuna ſuo multa ruit pede,
Magnorum inuida nominum.
Hæc aduerſa nimis iam nimiùm diù
Leccarum ſoboli fuit.
Sed virtus viguit pondere fortior.
Atq; vt poſt hyemem graue
Anni tempus agris lætus honos redit,
Sic Leccas noua dignitas
Matthæi domino Rege ſub omnium
Vi, virtuteq; maximo
Illuſtrat, veluti Sol iuga montium.

ALEXANDRO FARNESIO
Parmenſium Duci.
Ode XX.

AVRO rigentem Muſa Polymnia
Ordire telam pectine Lesbio:
Quam docta diſtinguat figuris

Palladia

Palladia manus arte miris.
Hic tela, currus, agmina, prælia,
Marteḿq; cernent ſorte volubilem, &
Claros Alexandri ſuperbis
Hoſtibus edomitis triumphos.
Frons inſtar illi ſideris aurei,
Ac criſta flammas euomet igneas,
Interq; criſtatas cohortes
Vertice conſpicuo refulget.
Illi arma nunquàm viſa homini noua
Incude finxit Lemnius artifex,
Sculpens in ipſis & parentum
Geſta faber, ſimul & nepotum.
Tu muſa Turcas, & Numidas vagos,
Belgasq; victos conſilio, & manu
Dices Alexandri camœnæ
Aeoliæ fidibus ſacrandi.
Natura mater me bona noluit
Mendacijs res vertere ſubdolis:
Et temnit obſcuros honores
Per varios agitata caſus
Virtus, nec vllis fluctibus obrui,
Nullisve flecti ſueta periculis,
Audentior contra procellas,
Inuidiæ reprimensq; vires.
Iactata duro robore fortior,
Submerſa ſurgit ſidere pulchrior,
Fidensq; perrumpit ſonantis
Sulphureas Phlegetontis vndas.

Dant

Dant noſtra quamuis vltima ſecula
Heroas. idem ſcilicet aſtriger
Verſatur orbis: luſtrat idem
Sol abiens, rediensq́; terras.
Proboſq́; tellus nutrit, & improbos
Communis altrix: moribus integris
Secernit hos virtus ab illis,
Flagitijs inimica fœdis.
Virtutis & vim promouet inſitam
In maius alto numine Iuppiter:
Veſtigijs quam gloria ijſdem
Conſequitur, velut vmbra corpus.

GASPARI CHIROGÆ
Archiepiſcopo, & Cardinali Toletano.
Ode XXII.

O TEMPLA cæli qui colis aureis
Ornata flammis, & regis omnium
Fines, & indicis tenebras
Perpetuas Phlegetontis vndæ;
Auctor ſalutis, iuſtitiæ parens,
Vindex nefandi, cui fidei placet
Candor, decusq́; inſigne honeſti,
Atq; vices animus rependens
Gratas, Chirogæ ſis bonus, & virum
Serua precamur: nos amat optimus
Vatum patronus, ſingulari
Ingenio regere aptus Vrbes.

Nomen

Nomen Chirogæ dulce, & bonos mihi
Omni manebunt tempore, dum reget
Cælo Bootes plauſtra, & aër
Parturiet nebuloſus imbres.
Ille æquitatis cultor, & omnibus
Diuis amicus, præſidium bonis,
Vir laude dignus ſempiterna,
Neſtoreos quoq; viuere annos.

AD MVSAS.
Ode XXIII.

MVSAE Olympii Iouis
Diuina proles, incolæq; Pindi,
Purpuræ æmulos precor
Libate flores: è quibus liquorem
Preſſet, atque paginas
Linat poëtæ, prima quæ in bicorni
Rupe Muſa me ſacris
Addixit aris. Veſtra vultu eodem
Sempiternitas nitens
Ora intuetur; addit atque vires.
Vos thronos Apollinem
Iuxta locaſtis, primæ & in choreis,
Dulcibusq; cantibus
AEdes quietas cælitum repletis.
Eſtis & poli decus:
Paresq; per vos reddimur Deorum.
Et meas ſacro illitas

Succo tabellas non vetuſta duro
Conteret dies pede;
Non Momus vllo dente mordet atro;
Non furentis æquoris
Regnator vnda inuoluet æſtuoſa;
Nec vorante Mulciber
Abſumet igne, flammeos rotatus
Submouens in ardui
Longos receſſus ætheris. Beatus,
Cuius eſt in omnia
Extenta per vos ſecula alma virtus.

AD B. VIRGINEM MARIAM Deiparam.

Ode XXIIII.

VIRGO, ſed mater veneranda Chriſti,
Virginum clarum decus, & Dearum
Prima, quæ nulla eſt prior, & ſuprema
Dignior ara;
Digna quæ prolem ſuperam tonantis
Alueo ferres, ſacra ſponſa Diuûm
Regis, illæſo tibi virginali
Semper honore;
Gentis humanæ pia mater, Euæ
Perditum ſeruans genus, & tenebras
Noctis expellens, precor eſto præſens
Æthere ab alto.

Non vides quantis pateat periclis
Vita mortalis? ſed abeſſe neſcis;
Quam bonam ſupplex prece blandiente
Gens vocat omnis.
Indicat votis paries onuſtus:
Ipſq; votiuis quoq; me tabellis
Supplicem pono. Sita noſtra ſpes eſt
Virgine in vna.
Proxima æterno Dea ſola Patri,
Luminans terram, decoransq; cælos;
Vnde te maius, meliusve totus
Nil habet orbis;
Quas tuis vnquàm meritis decentes
Impotens grates, referamve honores?
Me tibi totum dico ſeruientem
Tempus in omne.
Dedicet templis alius coronas
Lucidas auro, grauidasq; gemmis;
Ipſe non vanis Maria obligabo
Me tibi votis.
Non ego tantùm tibi Virgo ſeptem
Annuos curſus Phaëtontis vſque
Seruiam; ſed dum vigor vllus ægros
Rexerit artus.
Seruiam tandem meliore ritu,
Lætior vultus recolamq; ſanctos,
Cùm mea optatum ratis occuparit
Te duce portum.

IO. ANTONII VIPERANI BVCOLICA.

Regi Catholico PHILIPPO II.

Daphnis Ecloga I.

Dametas.

IN medio montis Cyllenes vertice quercus
Pandebat latè frondentia brachia circum.
Hic ſub frondoſo cõſedit tegmine paſtor
Dametas, pecorum paſtor: tum labra ſonoris
Admouit calamis: mox dulcia carmina dixit.
Et Daphnim vallis, Daphnim nemus omne ſonabat:
Paſtorum quem turba colit; cui tempora Nymphæ
Floribus exornant varijs, lauroq; coronant.
Ille hæc inflatis ſociabat carmina cannis.
Concine docta modos mecum mea fiſtula verſus.
Formoſi pecoris paſtor, formoſus & ipſe eſt
Daphnis: ad aſtra feret numeris mea carmina Daphnim.
Daphnis & in ſyluis hinc vſq; ad ſidera notus.
Concine docta modos mecum mea fiſtula verſus.

Paſtores

Paſtores hedera magnum velate magiſtrum;
Et ſacrum euincite caput florente corona.
Primus, & extremus Daphnis, mediusq; virorum eſt.
Concine docta modos mecum mea fiſtula verſus.
Pan Deus in ſyluis; præſens eſt numine Daphnis:
Pan ouium cuſtos; princeps regit omnia Daphnis.
Omnia Daphni tuo caſto ſunt numine plena.
Concine docta modos mecum mea fiſtula verſus.
Hic terram plantis, & cælum vertice tangit.
Iuppiter hunc miro ſemper dilexit amore:
Iuppiter omnipotens iubet hunc ſibi adeſſe ſecundum.
Concine docta modos mecum mea fiſtula verſus.
Otia Daphnis amat; Daphnis bonus otia quærit,
Iuſtitiæ vindex, & pacis candidus auctor.
Paſtorum decus, & ſyluarum gloria Daphnis.
Concine docta modos mecum mea fiſtula verſus.
Finibus è noſtris abijt genus omne malorum:
Porrigit ac dextra fœcundum copia cornu.
Gaudia paſtores teneant, & gaudia Nymphas.
Concine docta modos mecum mea fiſtula verſus.
Te nemus omne ſonat, teq; omnes vndiq; colles
Daphni vocant; Philomela ſuo te carmine cantat:
Nec voces vlla infauſtas dat ſtridula cornix.
Concine docta modos mecum mea fiſtula verſus.
Ipſi te Satyri quærunt, Dryadesq; puellæ:
Lætitia exultant rupes, & carmina dicunt.
Magnaq; Daphni tui tenet omnia rura voluptas.
Concine docta modos mecum mea fiſtula verſus.
Mollibus in pratis motus dant Naiades vnd

Cum Satyris alacres; voceſq; ad ſidera tollunt.
Tanta ne Daphni tui tenet omnia rura voluptas?
Concine docta modos mecum mea fiſtula verſus.
Ite boues paſtum læti per frondea rura;
Ite & oues paſtum lætæ per gramina campi.
Voſq; boues paſti nitidos venietis ad amnes;
Vos & oues paſtæ vitreas venietis ad vndas.
Atq; ſub vmbroſis antiquæ frondibus vlmi,
Dum libeat, tutò gelidas captabitis auras.
Concine docta modos mecum mea fiſtula verſus.
Ipſa capella lupo facilis, lupus ipſe leoni;
Iungentur canibus lepores, & tigribus agnæ.
Non unquàm timidæ venient ad pabula damæ;
Non unquàm timidi venient ad flumina cerui.
Nullæ vſquàm inſidiæ, nuſquàm timor anxius vllus.
Extinctus belli eſt furor, & diſcordia demens.
Concine docta modos mecum mea fiſtula verſus.
Nulla trahet collo ſtridentia plauſtra iuuencus,
Sentiet ac nullum taurus graue pondus aratri.
Sponte ſua nobis omnis dabit omnia tellus.
Mella fluent folijs, & riuis Maſſicus humor:
Et circum niuei decurret copia lactis.
Priſca iterum nobis redeunt Saturnia regna.
Concine docta modos mecum mea fiſtula verſus.
Huc ades ò Amarylli meum decus, huc ades oro,
Huc ades, auguſtum collem pete: numquid obaudis?
Intexes multo redolentem flore coronam,
Liliaq; alba roſis intexta rubentibus addes.
Inter ridebit Narciſſus, & inter Acanthus,

Huo

Huc ades; atque Dei cinges ſacra tempora ſertis.
Perficies tandem mecum mea fiſtula verſus.
Dum tellus homines, dum cælum ſidera paſcet,
Dumq; feræ ſyluas, & piſces æquora amabunt,
Daphnidis & nomen ſemper, laudesq; manebunt.
Hæc patulo ſacræ quercus ſub tegmine paſtor
Dametas cecinit, Nymphæ aſſenſere ſorores;
Balantumq; greges viridem ſaliere per herbam.

IOANNI AVSTRIO
Caroli V. Imp. F.

PALEMON ECLOGA II.

PERSONÆ

Palemon, Corydon, Battus.

HVC ad nos rectà Corydon, & Battus. adeſtis
Opportuni ambo noſtrum releuare laborem.
Co. Nos æquum eſt parere tibi venerande Palemon.
Ba. Et tibi, quam poſces, operam præſtabit vterq;.
Co. Cui Diuûm iſthanc è verbenis mollibus aram?
Pa. Viuoq;, æternoq; Deo, regiq; Deorum,
Reddat vt incolumem nobis iuuenemq;, Ducemq;
Inſignem patrijs armis, auroq; nitentem,
Atq; reportantem magna cum laude triumphos
De Turcis, Maurisq; feris. tunc maxima taurus
Hoſtia fuſo aram tinget mactata cruore.

Co. Mens, animuſq; pius paſtorum principis iſte eſt.
Et mihi ſi dabitur noſtri Ducis ora tueri
Victoris, cadet ante aram tener agnus, & hædus.
Ba. Et mihi fumabunt totos altaria menſes,
Dum tuta florens Trinacria pace fruetur.
Pa. Tu noſtris Deus omnipotens precor annue votis.
Ac quando ara ſatis nobis conſtructa decenter,
Lactis ego ſinum effundo: vos floribus omnem
Spargite humum, & lauro caput aduelate virente.
Poſt etiam alterno dicetis carmina cantu.
Co. Tu melius, quẽ Phœbus amat, chariteſq; ſorores.
Pa. At me deſtituunt vires, & labilis ætas:
Vos iuuenes cantuſq; decent, hilareſq; Choreæ.
Eia age iam Corydon; Battus te deinde ſequetur.
Ba. Non fugiam: ſed quæ ponentur pignora nobis?
Pa. Non equidem patiar vos hic deponere quicquam.
Victori ipſe dabo capram; quæ candida nuper
Eſt hædos enixa duos; quos paſcit Amynthas.
Ba. Ad cantum nos qui inuitas, & præmia ponis,
Ipſe etiam noſtri iudex certaminis eſto.
Pa. Sed iam Phœbæas inter conſidite lauros:
Hic Corydon ſedeat; Battus contrà inde ſedebit.
Vobis herba facit ſtratum, fons aſſonat vndis;
Atq; etiam aſſurgit frondente cacumine collis:
Carminaq; accipient ſyluæ, reddentq; viciſſim.
Co. Nymphæ Libetrides noſtrum decus, inclyta proles,
In mea diuinas concedite carmina vires.
Ba. Et tu Phœbe parens deduces carmina Batti.
Battus odoratas ſeruat tua munera lauros.

Co.

Co. Me Corydona fouent Nymphæ magis: & mihi nu-
Dum calamis iunctis canerem, riſere ſorores. (per,
Ba. Et me ſemper amat Phœbus magis: & mihi ſeptem
Pan calamos dedit, hisq; canes, age, carmina dixit.
Co. Hac geminas paſco Muſis in valle capellas:
Quas à me formoſa dari ſibi Theſtylis orat.
Ba. Hunc ego Phœbe agnũ tibi, & hãc tibi Pallas oliuã,
Hosq; fauos mellis tibi Pan Deus optime ſeruo.
Co. Paſcite oues circùm, vituli colludite in aruis;
Hic cythiſus, thym⁹ hic, mollisq; hic graminis herba.
Ba. Vbera paſcentes diſtendant lacte capellæ:
Hic rident prata, illic vitrea fluminis vnda.
Co. Caprarum dux hirce potens ad flumina paſtum
Ipſe gregem duces; ego vos in fonte lauabo.
Ba. Flumina, quæ in Siculi percurritis æquora ponti,
Spumantes intra veſtras decurrite ripas.
Co. Quis pro ouibus blandis hirſutos mulgeat hircos?
Pro lana ſetas? & agreſtes colligat vuas?
Ba. Quis pro lacte dabit lympham? pro flumine flãmas?
Aut lapidem pro pane? lupum lupus ipſe ſequetur.
Co. Ipſe lupus fugiat noſtris ab ouilibus actus:
Ni in ſe verſa malus mala ſentiet. O procul eſto.
Ba. Diffugit lupus omnis, aperq;, & ſa leæna.
I pecus, i noſtrum viridis per gra campi.
Co. Cum Cygno concors Vpupæ coniunctio nulla eſt:
Nec ſocia addetur Philomelæ garrula Pica.
Ba. Inter ſe nemo poterit coniungere Vulpes:
Sub iuga non venient faciles incurua Leones.
Co. Odi caudatas Vulpes, natosq; Luporum:

At

Aut quas malæ artis auctor Eurynnus luit
Comantibus Dioſcuris:
Digni parum felice prorſus exitu
Mordacitatis Zoili.

MATTHÆO VASCHIO LECCÆ
Regis Catholici Philippi II. ab epiſtolis.
Ode XX.

CYRNOS nobilis inſula,
Quæ vaſto Ligurum denatat æquore,
Iam longas virides comas
E ponti medijs fluctibus extulit.
Et cum Nereidum choro
Campos per liquidos, aruaq; cærula
Ad Lunæ noua lumina
Cantando choreas ducit, & aut ſalum
Impellit niuea manu,
Aut immerſa maris gurgite, vertice
Torquet ſpumigeras aquas,
Frenante in ſtabulis æquoreum pecus,
Qui ſe vertere amat ſenex
Formas in varias, oraq;, Proteo.
Leccarum illa canit genus
Alto à Romulidum ſanguine principum.
A quo duxit originem
Romani columen qui fuit imperî,
Ac verus pater Vrbium.
Qui bello domuit moribus efferas

Gentes,

Gentes, ac ſimul impijs
Diſſoluit patriam relligionibus,
Doctrinam accipiens ſacram,
Cæleſtemq́; fidem: quam docuit Dei
Viui filius vnicus,
Lapſus de ſuperis ſedibus ætheris.
Hinc magni obtinuit viri,
Cognomenq́; pij. Nomen is inclytum
Conſtantinus habet, quod &
Byzantî proprium mœnibus indidit.
Ex hac ſtirpe Idiginius
Clara progenitus, dum incolumis ſtetit
Res, & gloria Graciæ,
Epiri populos rexit, & optimis
Regnum condidit artibus.
Ex his prætereà regibus editus
Paulus Lecca, vir acribus
Præſtans egregij viribus ingenî,
Et belli ſtudijs potens
Rex longo tenuit tempore Corſicam.
Quam nutrit Dea ſpiceis
Sertis vincta gerens aurea tempora:
Et Liber Semeles puer
Veſtit pampineis vndiq; vitibus,
Magnæ lætitiæ dator.
E Pauli celebri germine prodijt
Leccarum eximium decus
Matthæus, veterem qui reparat domus
Labentis propè gloriam.

Naſcentem hunc gremio ſuſcipit Hiſpalis,
Florentiſſima Bæticæ
Vrbs, lato Oceani proxima littori.
Quam lambit mediam, fluens
Curſu præcipiti Bætis in æquora
Neptuni maris arbitri.
Virtutem patriam pectore poſteri
Spirant, legitimum genus.
Fructus quippe bonos ſtirps bona proferet.
Prodit ſe vigor inſitus.
At Fortuna ſuo multa ruit pede,
Magnorum inuida nominum.
Hæc aduerſa nimis iam nimiùm diù
Leccarum ſoboli fuit.
Sed virtus viguit pondere fortior.
Atq; vt poſt hyemem graue
Anni tempus agris lætus honos redit,
Sic Leccas noua dignitas
Matthæi domino Rege ſub omnium
Vi, virtuteq; maximo
Illuſtrat, veluti Sol iuga montium.

ALEXANDRO FARNESIO Parmenſium Duci. Ode XX.

AVRO rigentem Muſa Polymnia
Ordire telam pectine Lesbio:
Quam docta diſtinguat figuris

Palladia

Palladia manus arte miris.
Hic tela, currus, agmina, prælia,
Martemq́; cernent ſorte volubilem, &
Claros Alexandri ſuperbis
Hoſtibus edomitis triumphos.
Frons inſtar illi ſideris aurei,
Ac criſta flammas euomet igneas,
Interq́; criſtatas cohortes.
Vertice conſpicuo refulget.
Illi arma nunquàm viſa homini noua
Incude finxit Lemnius artifex,
Sculpens in ipſis & parentum
Geſta faber, ſimul & nepotum.
Tu muſa Turcas, & Numidas vagos,
Belgasq́; victos conſilio, & manu
Dices Alexandri camœnæ
Æoliæ fidibus ſacrandi.
Natura mater me bona noluit
Mendacijs res vertere ſubdolis:
Et temnit obſcuros honores
Per varios agitata caſus
Virtus, nec vllis fluctibus obrui,
Nullisve flecti ſueta periculis,
Audentior contra procellas,
Inuidiæ reprimensq́; vires.
Iactata duro robore fortior,
Submerſa ſurgit ſidere pulchrior,
Fidensq́; perrumpit ſonantis
Sulphureas Phlegetontis vndas.

Dant

Dant noſtra quamuis vltima ſecula
Heroas. idem ſcilicet aſtriger
Verſatur orbis: luſtrat idem
Sol abiens, rediensq; terras.
Proboſq; tellus nutrit, & improbos
Communis altrix: moribus integris
Secernit hos virtus ab illis,
Flagitijs inimica fœdis.
Virtutis & vim promouet inſitam
In maius alto numine Iuppiter:
Veſtigijs quam gloria ijſdem
Conſequitur, velut vmbra corpus.

GASPARI CHIROGÆ Archiepiſcopo, & Cardinali Toletano. Ode XXII.

O TEMPLA cæli qui colis aureis
Ornata flammis, & regis omnium
Fines, & indicis tenebras
Perpetuas Phlegetontis vndæ;
Auctor ſalutis, iuſtitiæ parens,
Vindex nefandi, cui fidei placet
Candor, decuſq; inſigne honeſti,
Atq; vices animus rependens
Gratas, Chirogæ ſis bonus, & virum
Serua precamur: nos amat optimus
Vatum patronus, ſingulari
Ingenio regere aptus Vrbes.

Nomen

Nomen Chirogæ dulce, & honos mihi
Omni manebunt tempore, dum reget
Cælo Bootes plauſtra, & aër
Parturiet nebuloſus imbres.
Ille æquitatis cultor, & omnibus
Diuis amicus, præſidium bonis,
Vir laude dignus ſempiternâ,
Neſtoreos quoq; viuere annos.

AD MVSAS.
Ode XXIII.

MVSAE Olympij Iouis
Diuina proles, incolæq; Pindi,
Purpuræ æmulos precor
Libate flores: è quibus liquorem
Preſſet, atque paginas
Linat poëtæ, prima quæ in bicorni
Rupe Muſa me ſacris
Addixit aris. Veſtra vultu eodem
Sempiternitas nitens
Ora intuetur; addit atque vires.
Vos thronos Apollinem
Iuxta locaſtis, primæ & in choreis,
Dulcibusq; cantibus
AEdes quietas cælitum repletis.
Eſtis & poli decus:
Pareſq; per vos reddimur Deorum.
Et meas ſacro illitas

Non vides quantis pateat periclis
Vita mortalis? ſed abeſſe neſcis;
Quam bonam ſupplex prece blandiente
Gens vocat omnis.
Indicat votis paries onuſtus:
Ipſq; votiuis quoq; me tabellis
Supplicem pono. Sita noſtra ſpes eſt
Virgine in vna.
Proxima æterno Dea ſola Patri,
Luminans terram, decoransq; cælos;
Vnde te maius, meliusve totus
Nil habet orbis;
Quas tuis vnquàm meritis decentes
Impotens grates, referamve honores?
Me tibi totum dico ſeruientem
Tempus in omne.
Dedicet templis alius coronas
Lucidas auro, grauidasq; gemmis;
Ipſe non vanis Maria obligabo
Me tibi votis.
Non ego tantùm tibi Virgo ſeptem
Annuos curſus Phaetontis vſque
Seruiam; ſed dum vigor vllus ægros
Rexerit artus.
Seruiam tandem meliore ritu,
Lætior vultus recolamq; ſanctos,
Cùm mea optatum ratis occuparit
Te duce portum.

Paſtores hedera magnum velate magiſtrum,
Et ſacrum euincite caput florente corona.
Primus, & extremus Daphnis, mediusq; virorum eſt.
Concine docta modos mecum mea fiſtula verſus.
Pan Deus in ſyluis; præſens eſt numine Daphnis:
Pan ouium cuſtos; princeps regit omnia Daphnis.
Omnia Daphni tuo caſto ſunt numine plena.
Concine docta modos mecum mea fiſtula verſus.
Hic terram plantis, & cælum vertice tangit.
Iuppiter hunc miro ſemper dilexit amore:
Iuppiter omnipotens iubet hunc ſibi adeſſe ſecundum.
Concine docta modos mecum mea fiſtula verſus.
Otia Daphnis amat; Daphnis bonus otia quærit,
Iuſtitiæ vindex, & pacis candidus auctor.
Paſtorum decus, & ſyluarum gloria Daphnis.
Concine docta modos mecum mea fiſtula verſus.
Finibus è noſtris abijt genus omne malorum:
Porrigit ac dextra fœcundum copia cornu.
Gaudia paſtores teneant, & gaudia Nymphas.
Concine docta modos mecum mea fiſtula verſus.
Te nemus omne ſonat, teq; omnes vndiq; colles
Daphni vocant; Philomela ſuo te carmine cantat:
Nec voces vlla infauſtas dat ſtridula cornix.
Concine docta modos mecum mea fiſtula verſus.
Ipſi te Satyri quærunt, Dryadesq; puellæ:
Lætitia exultant rupes, & carmina dicunt.
Magnaq; Daphni tui tenet omnia rura voluptas.
Concine docta modos mecum mea fiſtula verſus.
Mollibus in pratis motus dant Naiades vnà

Cum Satyris alacres; voceſq; ad ſidera tollunt.
Tanta ne Daphni tui tenet omnia rura voluptas?
Concine docta modos mecum mea fiſtula verſus.
Ite boues paſtum læti per frondea rura;
Ite & oues paſtum lætæ per gramina campi.
Voſq; boues paſti nitidos venietis ad amnes;
Vos & oues paſtæ vitreas venietis ad vndas.
Atq; ſub vmbroſis antiquæ frondibus vlmi,
Dum libeat, tutò gelidas captabitis auras.
Concine docta modos mecum mea fiſtula verſus.
Ipſa capella lupo facilis, lupus ipſe leoni;
Iungentur canibus lepores, & tigribus agnæ.
Non unquàm timidæ venient ad pabula damæ;
Non unquàm timidi venient ad flumina cerui.
Nullæ vſquàm inſidiæ, nuſquàm timor anxius vllus.
Extinctus belli eſt furor, & diſcordia demens.
Concine docta modos mecum mea fiſtula verſus.
Nulla trahet collo ſtridentia plauſtra iuuencus,
Sentiet ac nullum taurus graue pondus aratri.
Sponte ſua nobis omnis dabit omnia tellus.
Mella fluent folijs, & riuis Maſſicus humor:
Et circum niuei decurret copia lactis.
Priſca iterum nobis redeunt Saturnia regna.
Concine docta modos mecum mea fiſtula verſus.
Huc ades ò Amarylli meum decus, huc ades oro,
Huc ades, auguſtum collem pete: numquid obaudis?
Intexes multo redolentem flore coronam,
Liliaq; alba roſis intexta rubentibus addes.
Inter ridebit Narciſſus, & inter Acanthus.

Huc ades; atque Dei cinges ſacra tempora ſertis.
Perficies tandem mecum mea fiſtula verſus.
Dum tellus homines, dum cælum ſidera paſcet,
Dumq; feræ ſyluas, & piſces æquora amabunt,
Daphnidis & nomen ſemper, laudesq; manebunt.
Hæc patulo ſacræ quercus ſub tegmine paſtor
Dametas cecinit, Nymphæ aſſenſere ſorores;
Balantumq; greges viridem ſaliere per herbam.

IOANNI AVSTRIO
Caroli V. Imp. F.

PALEMON ECLOGA II.

PERSONÆ

Palemon, Corydon, Battus.

HVC ad nos rectà Corydon, & Battus. adeſtis
Opportuni ambo noſtrum releuare laborem.
Co. Nos æquum eſt parere tibi venerande Palemon.
Ba. Et tibi, quam poſces, operam præſtabit vterq;.
Co. Cui Diuûm iſthanc è verbenis mollibus aram?
Pa. Viuoq;, æternoq; Deo, regiq; Deorum,
Reddat vt incolumem nobis iuuenemq;, Ducemq;
Inſignem patrijs armis, auroq; nitentem,
Atq; reportantem magna cum laude triumphos
De Turcis, Maurisq; feris. tunc maxima taurus
Hoſtia fuſo aram tinget mactata cruore.

Co. Mens, animuſq; pius paſtorum principis iſte eſt.
Et mihi ſi dabitur noſtri Ducis ora tueri
Victoris, cadet ante aram tener agnus, & hædus.
Ba. Et mihi fumabunt totos altaria menſes,
Dum tuta florens Trinacria pace fruetur.
Pa. Tu noſtris Deus omnipotens precor annue votis.
Ac quando ara ſatis nobis conſtructa decenter,
Lactis ego ſinum effundo: vos floribus omnem
Spargite humum, & lauro caput aduelate virente.
Poſt etiam alterno dicetis carmina cantu.
Co. Tu melius, quẽ Phœbus amat, chariteſq; ſorores.
Pa. At me deſtituunt vires, & labilis ætas:
Vos iuuenes cantuſq; decent, hilareſq; Choreæ.
Eia age iam Corydon; Battus te deinde ſequetur.
Ba. Non fugiam: ſed quæ ponentur pignora nobis?
Pa. Non equidem patiar vos hic deponere quicqudm.
Victori ipſe dabo capram; quæ candida nuper
Eſt hædos enixa duos; quos paſcit Amynthas.
Ba. Ad cantum nos qui inuitas, & præmia ponis,
Ipſe etiam noſtri iudex certaminis eſto.
Pa. Sed iam Phœbæas inter conſidite lauros:
Hic Corydon ſedeat; Battus contra inde ſedebit.
Vobis herba facit ſtratum, fons aſſonat vndis;
Atq; etiam aſſurgit frondente cacumine collis:
Carminaq; accipient ſyluæ, reddentq; viciſſim.
Co. Nymphæ Libetrides noſtrum decus, inclyta proles,
In mea diuinas concedite carmina vires.
Ba. Et tu Phœbe parens deduces carmina Batti,
Battus odoratas ſeruat tua munera lauros.

Co.

Co. *Me Corydona fouent Nymphæ magis: & mihi nu-*
Dum calamis iunctis canerem, riſere ſorores. (per,
Ba. *Et me ſemper amat Phœbus magis: & mihi ſeptem*
Pan calamos dedit, hisq; canes, age, carmina dixit.
Co. *Hac geminas paſco Muſis in valle capellas:*
Quas à me formoſa dari ſibi Theſtylis orat.
Ba. *Hunc ego Phœbe agnũ tibi, & hãc tibi Pallas oliuã,*
Hosq; fauos mellis tibi Pan Deus optime ſeruo.
Co. *Paſcite oues circùm, vituli colludite in aruis;*
Hic cythiſus, thym⁹ hic, molliſq; hic graminis herba.
Ba. *Vbera paſcentes diſtendant lacte capellæ:*
Hic rident prata, illic vitrea fluminis vnda.
Co. *Caprarum dux hirce potens ad flumina paſtum*
Ipſe gregem duces; ego vos in fonte lauabo.
Ba. *Flumina, quæ in Siculi percurritis æquora ponti,*
Spumantes intra veſtras decurrite ripas.
Co. *Quis pro ouibus blandis hirſutos mulgeat hircos?*
Pro lana ſetas? & agreſtes colligat vuas?
Ba. *Quis pro lacte dabit lympham? pro flumine flãmas?*
Aut lapidem pro pane? lupum lupus ipſe ſequetur.
Co. *Ipſe lupus fugiat noſtris ab ouilibus actus:*
Ni in ſe verſa malus mala ſentiet. O procul eſto.
Ba. *Diffugit lupus omnis, aperq;, & ſa leæna.*
I pecus, i noſtrum viridis per gra campi.
Co. *Cum Cygno concors Vpupæ coniunctio nulla eſt:*
Nec ſocia addetur Philomelæ garrula Pica.
Ba. *Inter ſe nemo poterit coniungere Vulpes:*
Sub iuga non venient faciles incurua Leones.
Co. *Odi caudatas Vulpes, natoſq; Luporum:*

At

Atq; odi ſegetes vaſtantem dentibus aprum.
Ba. Non benè fœdus Aper flor. ntem immittitur hortũ,
Non Lupus in caulas, non in pullaria Vulpes.
Co. Non eſt fas vobis vites læſiſſe Locuſtæ:
Si ſepem inſilitis, vos Bacchus conteret omnes.
Ba. Meſſoresq; nefas eſt irritaſſe Cicadæ:
Quæ nunc ſtrideiis, vos perdet frigidus annus.
Co. Tityre oues paſtas fontana ad flumina duces:
Diſtenta inde domum referent multo vbera lacte.
Ba. Curua bobus iuga defeſſis ſuſpendite collo.
Nullos mugitus tollant ad ſidera tauri.
Co. Ingentes pelago Diui ſubſternite fluctus:
Nec Nothus ardenti comburat prata calore.
Ba. Sentiat iratos ſuperos, & numina Maurus:
Iuppiter infeſtos abſumat fulmine Turcas.
Co. Iam faciam capram ſuperis, aramq; adolebo.
Inuoluetur odor cum fumo ad ſidera flammis.
Ba. Fer gladium Thyrſi, atq; agnum, quò res ſacra fiat:
Et ſuppone ignes, vt noſtra altaria fument.
Co. Ipſe ego iam niueo ſpumantia pocula lacte
Circum aram effundam, & violis altaria cingam.
Ba. Ipſe tenens aram conſpergo nectare ſacra:
Atque ſolum folijs, & multis floribus orno.
Co. Qui legitis violas, apium, rubrumq; Hyacinthum,
Nectite victricem clara de fronde coronam.
Ba. Dux eſt ipſe Deo curæ, clariſſima proles.
Cernemus vinctos hoſtes poſt terga cathenis.
Pa. Sit ceciniſſe ſatis: laudari dignus vterque eſt.
Quiſq; hædum accipiat victor: capra imbuet aram.

BE

BENEDICTO ARIAS MONTANO ex Belgis ad ſuos in Hiſpaniam reuerſo.

MOERIS ECLOGA III.

PERSONÆ

Æpolus, Tityrus.

DVM capræ frigus captant in valle reducta,
Tityre vis æſtum Solis vitemus in herba;
Hic vbi ſylua frequẽs facit amplas frõdibus vmbras?
Et longè hic melior pecoris cuſtodia noſtri eſt.
Ti. Vt vis: atque lubens venio quocunque vocas me.
ÆEp. Et quia non eſt fas artus concedere ſomno,
Ac pecoris Deus eſt facilis cantantibus Arcas,
Oro aliquod docili modulemur arundine carmen.
Ad leue murmur aquæ muſcoſa è rupe cadentis.
Ti. Quod quæſo calamis modulabimur Æpole carmẽ?
ÆEp. Mitte iocos, mitte atros mœſtæ Phyllidis ignes;
Mitte nimis ſæuæ triſtes Amaryllidis iras.
Canta quæ ſolitus, Cereris dum uota manebant;
Quid deceat Bacchi uites, quid gramina poſcant.
Ti. Quin potius noſtri reditum celebremus amici:
Quem ſuperi errantem longis è finibus orbis
Reſtituêre modò incolumem patriæq;, ſuiſq;.
ÆEp. Cantemus Mœrim noſtræ decus urbis, & orbis:
Cantari dignus ſemper fuit omnibus ille.
Ti. Sic quoniam placet, incipiam: tu deinde ſequeris.

Dicite ſyluicolæ Muſæ, mihi dicite carmen.
Quod te Mœri nemus? quæ rura habuiſſe putādū eſt?
Num te glandiferas rupes coluiſſe Lycæi?
Aut tenuiſſe putem frondoſa cacumina Pindi?
An arua Actæi? ſeu verni apiaria Hymetti?
Collibus his noſtris cedant Peneia Tempe,
Menalus Arcadiæ, florens quoq; cedat Hymettus.
Dicite ſyluicolæ Muſæ, mihi dicite carmen.
Hinc dum Mœris abeſt, nos ipſe reliquit Apollo,
Muſarumq; Chorus: triſtes ſinè carmine ſyluæ.
Non auis in ſyluis verſus dedit vlla canoros;
Dumtaxat Bubus vox eſt audita feralis.
Quinetiam inuitæ paſtum, atq; ad flumina paſtæ
Iſtis Oues: errare Lupi de montibus altis.
Dicite ſyluicolæ Muſæ, mihi dicite carmen.
Ecce diù optatus vobis, quem ſemper amaſtis,
Mœris pulcher adeſt; & amat uos hic quoq; Mœris.
Nulli impar Mœris, nulli eſt cantare ſecundus.
Quem Charites fouere ſinu; cui candida Nais
Floribus inneċtit criſpantia tempora Achanti,
Et calathis miſcet fragrantia lilia plenis.
Dicite ſyluicolæ Muſæ, mihi dicite carmen.
Pan nemorum montane potens Deus aſpera tandem
Linque Helices iuga, linque alti dumeta Lycæi:
Viſe tuos, præſensq; tuis cantantibus eſto.
Tu calami pater, & noſtri tu carminis auctor:
Tu cuſtos ouium, curas ouiumq; magiſtros.
Huc ades, & Mœrim celebri donabis honore.
AEp. Dic quoq; bucolicū mecū mea fiſtula carmen.

Abſentem Mœrim Phœbus, ſanctæq; ſorores
Quæſiuere diù; tauri mugitibus altis,
Balantumq; greges clamoſa voce vocarunt.
Eius pro reditu cuncti ſolemnia vota
Fecerunt: princeps, & paſtorum ille magiſter,
Carmine agens quercus, & mulcens carmine tigres.
Dic quoq; bucolicum mecum mea fiſtula carmen.
Mœris pulcher adeſt; Mœrimq; aſpeximus ipſi.
Lux noua vecta; Lupi nemorum petiere latebras.
Nec Caßita gemit mœſto ſua funera luctu;
Sed Philomela canens fundit pia carmina nobis.
Mœri tuo colles, & prata virentia rident
Aduentu, & placido exultant flumina curſu.
Dic quoq; bucolicum mecum mea fiſtula carmen.
O qui luſtra Lupi, nemoroſaq; tecta tenetis,
O qui in vicinis habitatis montibus Vrſi,
Non ego iam poſthac per deuia vos iuga cernam.
Voſq; greges poſthac tutò ſimul ite per arua,
Per ſaltus errate vagos, colludite paßim.
Mœris pulcher adeſt, magnorum cura Deorum.
Dic quoq; bucolicum mecum mea fiſtula carmen.
Luce noua noua ſerta decet vos texere Muſæ:
Saltabunt Satyri, Nympha ducente choream.
Vobis Mœris adeſt; vatis vincite nitentes
Clara fronde comas hederæ cum floribus albæ.
Ipſe ego Dijs ſuperis faciam pro frugibus agnam;
Atq; referta dabit læta Deus horrea meſſe.
Ti. A Epole Dircæus vates mihi crederis eſſe.
Accipies calamos tali pro munere noſtros;

Quos

Quos Ægon mihi donauit: tu hoc munere dignus.
Sin te digna minùs, ſed debita munera ſume.
ÆEp. Tuq; etiã hunc cape amice ſcyphũ, mihi quẽ dedit
Dametas. neq; enim mihi tu indonatus abibis. (olim
O vtinam tecum liceat mihi viuere ſemper:
Qui potes arguto conſiſtere flumina cantu.

MOPSVS ECLOGA IIII.

PERSONÆ

Ægon, Mopſus.

HANC ſitulã pulchrã forma, ſuauemq; cupreſſo,
Et binis munitam anſis, ſummiq; magiſtri
Arte laboratam, ac multis, mirisq; figuris
Cælatam (namq; eſt hederæ circundata ramis;
Quos flore intextus croceo diſtinguit Achantus:
Vitis pampineis circundat flexibus anſas:
Circum oram proſerpit Helix lætiſſima flore.
In medio formoſa ſedet, præſtansq; puella;
Cui longa ex humeris pendet coma flaua decoris,
Atq; vmbrata gerit Cythereide tempora myrto.
Ipſa ſalax oculis atq; hunc, atq; aſpicit illum;
Atq; hilaris tremulo riſum ciet ore venuſtum)
Hanc ego iam ſeruo ſitulam tibi maxime vates:
Et mihi quale ſolet dicat tua fiſtula carmen.
Mo. Quæ tibi amice canam anſer ſtridens inter olores?
ÆEg. At te paſtores omnes dixere Poëtam;
Ex cuius fluit ore thymo mel dulcius Hyblæ.

Nam te Caſtalidis lactarunt vbera Nymphæ;
Panq́; pater docuit calamos coniungere cera:
Vt nemo in noſtris certet tibi carmine ſyluis.
Ac Deus Arcadiæ tibi ſi me iudice certet,
Pan Deus Arcadiæ tibi iam me iudice cedat.
Mo. Aſt omni reſonare die nemora omnia ſentis
Carmina paſtorum leuibus permixta cicutis:
Vt veſtras mea muſa rudis faſtidiat aures.
AEg. Tale tuum eſt nobis carmen diuine poëta,
Quales ſunt gelidi pratis ſitientibus imbres,
Atq; quies tauris collum ſub vomere preſſis.
Non mage piſcis amat fluuios, Cythiſumq́; capella,
Melq́; liquẽs vrſus, quã AEgon tua carmina Mopſe.
Mo. Attamen ipſe prior nobis tua carmina dices.
AEg. Et quos agreſtes dicet mea fiſtula verſus?
Non me Calliope genuit Dea; ruſticus AEgon.
Mo. At te Pierides merſere in fontibus altis:
Et latè ambroſium ſpirant tua guttura nectar;
Cui Dea in os mittit dulciſſima carmina Clio.
Arcadas ipſe potes vates ſuperare canendo:
Arcades & victam tibi dant me iudice palmam.
AEg. Si prior incipias, ego te ſequar ipſe magiſtrum.
Mo. Ergo ades huc AEgon, quãdo hæc ſentẽtia menti.
Hic locus obſcuris totus tibi conſitus vmbris:
Quem multa cingit denſum nemus arbore circùm,
Ac Iouis aërei frigentis ſpiritus afflat,
Et circùm raucis implent apiaria bombis.
Hîc antrum, agreſtis viridi quod palmite vitis
Circuit, & multis ſpargit laſciua racemis.

Cuiq́;

Cuiq; ingens validis ramis ſuper imminet ilex,
Et dorſum folijs veſtit reuirentibus herba.
Intus aquæ dulces, viuoq; ſedilia ſaxo.
ÆEg. Hic dudũ Pani ſacer eſt locus, huc quoq; Faunos,
Sæpe etiam vidi faciles accedere Nymphas.
Hic quoq; paſtores perſoluunt vota quotannis,
Et feſtas ſuperis incendunt ignibus aras.
Vidi ego ſæpe etiam cæleſtibus vndiq; flammis
Collucere locum, & præſentia numina vidi.
Mo. Ergo ades huc; lentoq; artus in gramine pones:
Atq; ſimul numeros gracili experiemur auena.
ÆEg. Pana Deum in ſyluis imitabimur Arcada cantu,
Dum pecudes vmbras per denſa cacumina quærunt,
Et Solis gelido depellunt frigore flammas.
Incipe: reſpondent reſonantes omnia ſyluæ.
Mo. Incipiam. verùm ò præſens dabis ipſa Thalia
Muſa mihi verſus: tu reſpondeto viciſſim.
Iuppiter, atq; Arcas paſtorum maxime cuſtos,
Ruricolæ Fauni, ac Satyri, Dryadesq; puellæ,
Tale precor veſtro ſylueſtria numina vati,
Quale ÆEgon meus exoptat, concedite carmen.
ÆEg. Florentes colles, Cereris flauentia rura,
Piſcoſi fontes, currentia flumina lymphis,
Blande lacus vitreis undis, & fluctibus audax,
Accipite hos numeros, & noſtros reddite uerſus.
Mo. Eſt Mopſo pergratum antrum ſub rupe Pelori,
Qui caua Scyllæi porrò ſubit æquora ponti;
Quantum apibus gratæ cellæ, quas nectare cõplent.
Hic pecudes paſco ipſe meas per amœna uireta.

Non

Non antrum inuideam Polyphemi, aut paſcua rura.
AEg. Et mihi, quæ in ſummo frondentis vertice montis
Gramineo parua erigitur caſa ceſpite, grata eſt;
Candida quàm aërijs eſt turris amica columbis.
Hinc vnde inſpecto ſiculum mare, & æquoris vndas.
Non aurum Crœſi inuideam, non Cæſaris arma.
Mo. Eſt quoq; manantem riuum prope lectus in herbis:
Hic vbi languidulos ſomnos captamus, & auras:
Hîc quoque dulce mihi eſt calamos inflare ſonoros.
AEg. Et mihi ſub patulo ſtratum quoq; tegmine pinus:
Hîc vbi flagrantes vitamus frondibus æſtus.
Hîc quoq; dulce mihi eſt ſæpe inſanire cicutis.
Mo. Frondoſæ vt vites vlmis, vt vitibus vuæ,
Quercubus vt glandes, vt malis mala decori:
Vtq; boui decus eſt vitulus, bos ipſe magiſtro,
Sic & ſuauiloquens nobis eſt fiſtula honori.
AEg. Mollibus vt Bacchus thyrſis, Phœbusq; ſagittis,
Vtq; arcu nemorum cuſtos, vtq; ægide Pallas;
Sic calamis gaudet pecorum Deus impiger Arcas.
Sæpe etiam tenues ſuperis placuere cicutæ.
Mo. Quæ montes Abies, quæ apricas Fraxine ſyluas,
Quæ fluuios Alni legitis, quæ littora Myrti,
Floribus, & folijs omnis ſe veſtiat arbos.
Bruma receſſit iners; redijt formoſior annus.
AEg. Nunc frondes arbor, nũc profert gramina tellus,
Parturit omne pecus, volucres ſua carmina dicunt.
Ferte citi pueri violas, veſcumq; papauer;
Spargite per feſtas fragrantia lilia ſedes.
Mo. Paſtores errare boues, errare capellas,

Et quocunq; velint hædos concedite, & hircos;
Seu ſaltare iuuet, tenero ſeu ludere in aruo.
Ad gelidas cantu Mæris comitabitur undas.
Æg. Ad mulctram paſtæ, Battus uocat, ite capellæ,
Mulgeto Alcippe niuei plena ubera lactis:
Dum Diana feras telo configit acuto,
Et roſeo agmen apum diſtendit nectare cellas.
Mo. Nil mihi ſiue æſtu, ſeu duro frigore deſit,
Non lac, non caſeus, non ſucco mitia poma:
Flauaq; mella fluunt redolentia tempora in omni.
Sic mihi perpetuum concedat Iuppiter æuum.
Æg. Perpetua hæc nobis faciat bonus otia Dæmon:
Atque ſuam è noſtris auertat collibus iram.
Quòd ſi quis tamen inuideat bona gaudia nobis,
Nudus in urticis iaceat, ſpiniſq; cruentis.

PAVLO MARINO, ET SFORTIÆ, Ranerijs, Germanis fratribus.

Io. Antonius Viperanus S.

VT Lacum Thraſymenum vidi, ſtatim illius forma captus ſum: quæ pulcherrima mihi omni ex parte viſa eſt. Vnde mox ad illam verſibus deſcribendã animum appuli. Quod opus vobis dedico, qui me ad videndum Lacum adduxiſtis: vbi multos agros, & villas habet veſtra Raneriorum familia, inter cæteras Peruſinas domos nobilis. Optoq; vt quemadmodum Lacus forma mihi placuit, ſic eius mea deſcriptio vobis, & aliis arrideat.

LACVS THRASYMENI Deſcriptio.

EST animus Thraſymene tuam deſcribere formam
Marmore lucentem vitreo, circoq; figuram
Perfectam obliquo; nec non ſurgentia circùm
Oppida; feruenteſq; æſtus; piſceſq; ſub undis
Errantes; & quæ medio natet inſula ponto.
Huc Thraſymeniades Nymphæ, ſanctæq; ſorores
Ferte pedem, noſtrumq; ſimul deducite carmen.
Noſtis enim legeſq; lacus, gelidoſq; meatus,
Et quos ſub liquido ſecum ferat æquore piſces.
Heſperia in magna regio eſt glebæ ubere diues,
Marte potens, populiſq; frequens, ornataq; multis
Artibus egregijs: habuit quæ Hetruria nomen;
Atque etiam à cultu Diuorum Tuſcia dicta eſt.
Hanc fluuij Macra, & Tyberis geniti Apennini
Altam intra rupem, & Thyrrenũ terminat æquor.
Hîc inter Cluſinum agrum, Peruſinaq; rura
Eſilit effundens magnam Thraſymenus aquæ vim;
Et latè circùm diſtendit fluctibus oras.
Vnde lacus facies in curuum flectitur orbem:
Ni qua parte ſubit vallem, quam nomine ſanctæ
Illuſtrem veteres nobis fecere Sabinæ.
Quæ colles intra, tumuloſq; incluſa reſidet,
Diducta in longum, quâ Sol fugat ignifer aſtra.
At dextram tenet excelſus mons Menius, arcem
Sublimem cæli aſpiciens, tardumq; Bootem:

Vnde ruit Boreas ventis non ſegnior vllis.
Sed læua ſedet antiquum Panicale; quod inter
Oppida non minimum eſt, pulſusq; exaudit aquarum.
Illinc ſæpe nigris horrens venit imbribus Auſter.
At quà Phœbus equos medijs educit ab vndis,
Atq; rubens Eurus ſtridentia flamina mittit,
Eminus oſtentas auguſta Peruſia turres.
Sed quà Sol ardens immergit lora profundis
Fluctibus, & diſſoluit equos, parcitq; labori,
Fœcundas Clunas videas, camposq; patentes:
Quos non ingrato Zephyrus ſpiramine perflat.
Hos fines olim rexit rex optimus Annus,
Annus Cornigero Fauno ſatus, atque Pelaſgæ
Dux gentis: patrias quæ ſponte reliquerat vrbes,
Hetruſcas quærens terras, ſedesq; beatas.
At verò Thraſymene tibi Thraſymenus, Agillæ
Dilectus Nymphæ iuuenis, dat nomina, præſtans
Eximia forma iuuenis; cui Lydius heros
Thyrrenus pater eſt; gentem qui duxerat oras
Mæoniã in Latias: Tyrrhena vnde æquora dicunt.
Hunc iuuenem nigrumq; oculis, nigrumq; capillo
Ardebat Dea Nympha loci; amplexusq; negantẽ,
Dum fluido aſpergit candentia membra liquore,
Corripuit, merſitq; vndis complexa ſub ipſis.
Tunc dotale decus iuueni Thraſymene fuiſti.
Tu nulli es ſpecie, nulli vtilitate ſecundus,
Seu vitreas ſpectent vndas, ſiue æquora largo
Lata ſinu, vel monſtra vadis fugitiua refuſis,
Fundatasq; altas medijs in fluctibus vrbes.

Non tantum Benace tuas iactaueris oras,
Inſano fremitu aſſurgens; neq; Larius vllos,
Gurgite quos verſat, fluctus; neq; Fucinus vndas
Spumiferas; turbamq; ſuam Verbanus aquarum.
Tu quoq; Perguſæ ſiculæ radicibus Ennæ
Proxima concedes; nec ſe ipſe Lemanus habebit
Præruptus regem, quamuis opulentior auro.
Non equidem ipſi ſunt turpi vada turbida cœno,
Nec limo ripæ putres. Eſt vnda nitente
Purior electro; & flauentia littora arenis.
Non Lunæ imperium patitur; quo cærula Nerei
Regna mouet, ſecumq; rapit longa agmina aquarũ;
Vt fluat, & refluat, perq; arua liquentia fluctus
Semper agat ſus, deq; omnes noctesq;, diesq;.
Ac dum rex clauſo ventos premit AEolus antro;
Stat placidus, canumq; comis caput exerit vndis.
Sed dum ventorum furijs agitatur, & Euri
Horreſcit tumidis, Zephyriue, Auſtriue procellis,
Aut fremit à ſupera Boreas violentior arce,
Tunc totus fundo, vt pelagus, turbatur ab imo;
Turbinibus fluctus indignans vndique ſæuis
Iactari immeritos. & quæ ſpiramina tentant
Oceanum, hæc eadem perfert Thraſymenus; & iras
Colligit, vndarumq; retorquet ad æthera montes,
Impatiens turmæ AEoliæ, gentisq; ſuperbæ.
Non amnes ullos recipit, caſtusq; recuſat
Labentes fluuios, nullo ſe flumine miſcet:
Ne tamen effuſis cælo lacus imbribus altè
Exundet, fluctuq; fremens ſua clauſtra refringat,

Atque ſata, & ſegetes inimicis obruat vndis;
(Namq; in bis ſenos cubitos excreſcere nuper.
Viſus: adhuc nobis reſtant veſtigia facti)
Illi humana viam fecit ſolertia ferro;
Qua latum fluuij Cainæ illabatur in aluum:
Mons ad naſcentis rutilantia lumina Solis,
Vallis ubi ſanctæ ſubſidet longa Sabinæ,
Arduus ex ipſo Thraſymeni littore ſurgit.
Hunc à Montona memorandus Brachius armis,
Ingenioq; valens ferro perfodit acuto:
Atque lacum immiſit per cæca foramina in amnem
Ponè illinc Cainam, labentem vortice leni.
Hæc Caua nomen habet ſpelunca, immanis hiatu.
Fortè cupis ſit quanta lacus perdiſcere moles:
Ter centum ſtadijs extenſa margine circùm
Clauditur: atque ſinus ſpatioſa per æquora ducit.
Sed quid ego memorem longis circundata muris
Oppida, fumanteſq; pagos, uillaſq; frequentes?
Hic montem domus Aërium Balionia munit;
Nec longè hinc Panicale ſitum; ſentitq; ſuperbum
Caſtilion gemere illiſos ad mœnia fluctus.
Borghettum poſthæc; & cui mons ipſe Galandrus
Dat nomen, cernas & amabile Vernazanum.
Excipit ad ripas fluctus Baſtia volutos:
Inq; vndis tua Paſſiniane relucet imago.
Tum ſeſe montis Fontani culmina longè
Attollunt; tum tecta vides nigrantia Socchi.
Oppidum & hinc ſancti Felicis conſpice; & Vrbem
Tutelæ quæ ſancta tuæ commiſſa Sabina eſt;

Quæq;

Quaq; à monte Bono ſortitur nomen; & arcis
Angelicæ muros, ad quos ſe ſe vnda reſcindit.
Aſt vbi demittit iuga mons frondoſa Galandrus,
Planities media, hinc undis, radicibus illinc
Montis ſepta iacet, pinguis, ſpes magna colonum:
Ac ſulcis operit miſeranda ſepulchra Quiritum.
Quos cùm primùm Vrbem peteret victricibus armis
Annibal, excidium Romæ, cunctaq; minatus
Exitium genti, congreſſus marte cecîdit.
Tunc cladem miſerata hominũ, tremefactaq; tellus
Concuſſit grauiter montes: neque ſenſit uterque
Motum hoſtis. Tantus bellandi in pectore feruor.
Hos nunc ſanguineos rectè uocat accola campos.
Te quoque magne lacus dextra, læuaq; tuentur
Formoſi colles, & terga virentibus ornant,
Arboribus, crebriſq; tegunt latera omnia ſyluis.
Arboris hic genus omne uiret. Nam Fagus opacâ
Frondibus, atque Ioui Quercus ſacra Dodonæo.
Pampineæ hîc Bacchi Vites, hic vitibus Vlmi
Coniunctæ, hîc Pallas ſuſtentat pondera Oliuæ:
Et Pomona ſuos ramos incuruat olentes.
Prætereà in ſyluis variarum denſa ferarum
Tecta latent, & aues reſonat nemus omne canoras.
At quâ decedens Sol lumina condit in undas,
Clumarum viridi ſe extendunt æquore campi,
Lataq; planities tractus diffundit apertos:
Quos colit alma Ceres, & multis frugibus implet.
Quin etiam tua te ſoboles Thraſymene beatum
Efficit, & proles tanto haud indigna parente,

Cœno, inter calamos exiles, inter & vluas.
Et captura quidem nautis tunc maxima earum eſt,
Lumine cùm Titan perfundit cornua Tauri,
Verq; nouum pictis exornat floribus arua,
Atque etiam eoæ Atlantides abſconduntur,
Scorpioq; exoritur contrarius Orioni.
Hîc Mergus ualdè eſt nautis infeſtus, iniqua
Mergus auis(nã nomen habet quia mergitur undis)
Piſciuoraxq;, rapaxq; adeò, ſinè lege, locoq;;
Sunt etiam hîc Fulices ſparſæ nigredine pennas;
Sunt Strigiles celeri findentes ſtagna uolatu;
Germanusq; Anati ſimilis; timidæq; per oras
Vndiſonas Anates ludunt, & Aquaticus Anſer.
Et cantu dat dulcis Olor reſonantia ripis
Carmina, deplorans crudelia fata, diemq;
Extremum. non tot uolitant per ſtagna Cayſtri
Candentes volucres, quot fert Thraſymenus olores.
Iam verò multi remis hæc æquora verrunt;
Inſtructasq; dolis intendunt piſcibus artes.
Gens duris aſſueta malis, patiensq; laborum,
Piſcandi quibus eſt ſtudium: nullosq; calores
Ardentes Solis fugiunt, nullasq; pruinas
Horreſcunt gelidas. Rediens cùm Phœbus ab Auſtro
Illuſtrat flammis cæli Borealia tecta,
Nauta ſtudet ferro graciles ſuccidere ſyluas,
Piſcibus vnde paret latebroſa cubilia nudis;
Congeſtisq; ſtruit ramis ad littora portus,
Componitq; toros medijs in fluctibus, ipſam
Congeriem cæſæ ſyluæ, & defigit acutos

In

In pelagi fundo palos, & retia curat.
Alnorumq; cauat truncos, curuasq; carinas
Ædificat, ratibusq; rates componit aduncas.
Cùm verò Sol abſcedit, ſeptemq; Triones
Deſerit, imbriferum longè ſemotus in Auſtrum,
Armat ſe corio, Boreæ quo frigora vincat;
Et committit aquis, & remis æquora ſulcat.
Nunc hamos tendit, nunc funda uerberat undas,
Expedit atque plagas, trahit atque humentia lina.
Quæ non fallaces artes tentantur auaris?
Ingenium dat paupertas, toleratq; labores.
Intentatum homini ſtudio nil uſque relictum eſt.
Hæc quondam Deus ignipotens, Iunonia proles,
Inuidia ſtimulante animum vada cærula flammis
Exuſsit, liquidosq; incendit fulgure campos.
In flammas conuerſæ undæ, fluctusq; ſonantes,
Lumineq; ingenti exarſerunt littora circùm;
Colluxere ſimul colles, uallesq; ſupinæ.
Senſit Agylla ignem, flammas uidere ſorores,
Diſciſſæq; comas regem petiere Deorum,
Et queſtæ grauibus ſunt tanta incendia uerbis.
Ippiter orantum voces accepit, & illas
Solatus primùm eſt uerbis; dein æthere ab alto
Vulcani rapidum extinxit miſſo imbre furorem.
Vt primùm flamma extincta eſt, dirusq; quieuit
Mulciber, atque decor rediјt lymphisq;, uadisq;,
Tunc ſunt tres numero viſæ (mirabile dictu)
Fluctibus è mediјs facili conſurgere cliuo
Inſulæ in immenſo pelago, & frondeſcere ſyluis.

Harum

Harum quæ media eſt, dorſum ſpectabile ponto
In latus Auſtrinum gelida protendit ab Arcto,
Mille ſoli circùm paſſus amplexa feracis:
Quod ſpicas Cereris, quod baccas Palladis affert,
Arboreoſq; alios fœtus, & dona Lyæi.
Eſt quoque magnificis templis, domibusq; ſuperba:
Hic olim paruo memorant habitaſſe ſub antro,
Ieiunumq; quater denis egiſſe diebus
Franciſcum, natum Aſſyſij, in Sanctoſq; relatum.
Dicitur hæc maior. nam quæ adiacet altera, dextrâ
Non longinqua tenens, minor eſt: elataq; dorſo,
Non ſecus ac maior Riphæas conſpicit arces.
Tertia Puluenſis ſemotior inſula: denis
Namq; quater diſtat ſtadijs; Solemq; cadentem
In ſummam ſe undam attollens proſpectat ab ortu.
Maxima terra ſitu, paſſus bis mille coërcens,
Diues agro, diueſq; oleis, & dulcibus vuis:
Sed minùs hoc felix, quoniam vicina Sabinæ
Cœnoſæ valli, pluuijſq; obnoxia ventis,
Rarò aura fruitur nitida, cæloq; ſalubri.
Attamen ob ſanctū valde eſt celebranda Secundum.

SELVA

SELVA A IDDIO.

SO ben ch'altri, che tu Signor eterno,
Non puo por freno à la ſfrenata voglia;
Che nel torto ſentier drizando'l corſo
Noi col ſuo error da noi medeſmi inuola.
Sò ben ch'altri non puo la folta nebbia,
Nata dal mortal noſtro oſcuro abiſſo
Tor da l'vman' veder, ſe non quel raggio
Di Sol, ch'eſce del chiaro, & viuo fonte
Del tuo corteſe, & infinito amore.
Sò ben' ch'altri, che tu, non puo dar lena
Al veloce penſier, colmo d'errori
Nel noſtro aſpro camin', ch'à te n'inuia,
Ne ſpronar il deſio caduco, e frale,
Al ſuo mal pronto, & al ben' tardo, e pigro.
Sò ben ch'altri, che tu, ne gl'error foſchi
Tra gl'inhoſpiti boſchi non ci moſtra
De gl'intricati calli'l ſentier vero.
Sò ben ch'altri, che tù, nel mortal corſo
Di queſta uiua morte non ci porge
L'onnipotente mano al cader noſtro.
E'n ſomma sò che trà queſt'onde amare
Del noſtr'irato mar tu ſol ne ſei
Al diſarmato, e pauentoſo legno
Stella, vela, temon, nochiero, e porto.
Però ſe mai Signor diuoto core,
Se mai giuſte preghier', honeſte, & ſante,
Se mai fermo penſier nell'opre pie,

SYLVA, AD DEVM.

SAT *noui te poſſe unum, Dominator Olympi,*
Effrenem cohibere animum, mentemq́; ſuperbam:
Quæ curſum incertum torquens ambage uiarum,
Nos per nos ipſos erroribus implicat atris.
Sat noui non poſſe alium caliginis umbram,
Quam noſtra hæc tenebris denſata exhalat abyſſus,
E noſtris remouere oculis, noctemq́; fugare;
Ni clarum Solis radium: quem fundit ab alto
Æthere fons primi, & ſummi cæleſtis amoris.
Sat noui niſi te ſolum poſſe addere uires
Motibus ingenij uarijs erroribus acti
Hoc in curriculo uitæ, quo tenditur ad te:
Et deſiderium torpens ſtimulare, labansq́;,
Ad ſua damna celer, tantumq́; ad cōmoda pigrum.
Sat noui nobis inter loca inhoſpita terræ,
Horroresq́; feros ſyluarum errantibus unum
Te rectam monſtrare uiam, callemq́; tenendum.
Sat noui noſtræ in curſu uolucriq́;, breuiq́;
Viuentis mortis, uitæ morientis in horas,
Te ſolum ferre auxilium, dextramq́; cadenti.
Ad ſummam noui, quòd ſolus in æquoris æſtu,
Inq́; huius pelagi veſani fluctibus ipſe
Quaſſatæ, nudæq́; rati, timidæq́; carinæ es
Stella, gubernaclum, rector, uelum, anchora, portus.
Si te igitur pia mens unquàm Dominator Olympi,
Si iuſtæq́; preces ſurgentes pectore ab imo;
Siq́; inſtans operis animus ſanctisq́;, pijsq́;,

Diuiniq́;

Se voglia mai di caritade acceſa,
Se mai conſtante, e indiſſolubil fede,
O ti moſſe giamai doglioſo pianto,
Mouati Signor mio queſt'alma errante,
Ch'in queſta prigion tetra, orrida, e ſtrana
Non ſcorge ond'eſca, e col cor puro, e netto
Piangendo gl'error ſuoi ti chiede aita.
Piacciati homai Signor di porre'l freno
All'indomita voglia, & col bel Sole
De la tua vera caritade eterna
Sgombrar da gl'occhi miei l'oſcura nebbia;
Che ſcorger non mi laſcia altro, che morte.
Porgimi polſo, e lena, poi ch'io corro
Al ſanto, eterno, e deſiato albergo.
Pungi'l deſtrier, che nel mio ben s'azzoppa,
E de la mente ſquarcia'l duro uelo,
Acciò il ver abbracciando laſci l'ombre,
Moſtrami Signor mio tra queſta ſelua,
Tra tanti aſpri ſentier, qual ſia quel vero,
Che ne fa teco dimorar mai ſempre.
E ſe nel camin longo, e faticoſo
Caddrò trà uia, Signor non ti ſdegnare,
Bench'io ſia terra vil, darmi la mano.
E ſe ne l'alto mar de gl'vman ſtenti
Vedrai la naue mia fiaccata, e ſtanca,
Starſi sbattuta d' fieri venti'n preda,
Fatti Signor per me ſtella, e nochiero
Vela, remo, temon, ancora, e porto.
Non ſcendeſti per noi dal chioſtro eterno

In

Diuiniq́; ſacris flammis incenſus amoris,
Aut te firma fides, nec ſorte uolubilis ulla,
Seu lacrymæ mouere unquàm, gemitusq́;, precor te,
Nunc huius miſerere animæ mala multa ferentis:
Quæ vinclis duris contenta, & carcere cæco,
Diſſolui cupit, & nullus datur exitus. vnde
Poſcit opem cæli, deflens contagia carnis.
Iam tandem libeat ſummi Dominator Olympi
Indomitum frenare animum, mentemq́; ſuperbam;
Æthereisq́; tui radijs fulgentis amoris
Ex acie remouere mea caliginis vmbram,
Inuoluentem oculos, ut mortem conſpicer vnam.
Da robur tu, daq́; animum; quando ad tua regna,
Optatasq́; adeò cæleſtes curritur ædes:
Et deſiderio, quod claudicat, incute calcar.
Atque mea tetrum uelum de mente reſcinde,
Vt verũ amplectens non perſequar ampliùs umbras.
Hac etiam denſa in ſylua Deus optime, callis
Multus ubi obliquus, monſtra ueſtigia ueri;
Quod tecum nobis æternum comparat æuum.
Et ſi iter hoc longum faciens, plenumq́; laborum,
Concidero interdum, quamuis ſim puluis, & umbra,
Dignare alme Deus miſero ſuccurrere dextra.
Quòd ſi etiam mundi in pelago, uitæq́; procellis,
Concuſſam, feſſamq́; ratem conſpexeris unquàm
Ludibrium, prædamq́; Notis luctantibus undis,
Tunc mihi ſumme Deus fueris, tua numina poſco,
Stella, gubernaclum, rector, uelum, anchora, portus.
An non pro nobis cælo dilapſus ab alto es

Huius

In queſto carcer tenebroſo, e rio?
E con terreſtre, e corruttibil uelo
Aſcondeſti l'eterno ed immortale?
Non laſciaſti per noi putridi, e'nfermi,
Vil uermi, e'ntenti ſol à l'opre praue
Gl'intelletti del ciel lucidi, e puri?
Non ſofferſe da noi l'alta bontade
De l'immenſo amor tuo uergogna, e ſcorno,
Doglia affannata, e doloroſa morte,
Per moſtrarne'l camin, ch'al ciel ne mena?
Non ſpargeſti Signor ſu'l duro legno
Quel ſangue glorioſo, ed immortale,
Acciò nettaſſe in noi l'antica macchia?
Non portaſti Signor sù gl'humer ſanti
Ogni languor de l'affannata mente,
E quanto puote errar noſtra natura?
Però ſe queſta mia caduca, & frale
Scorza mortal già mai quà giù t'offeſe,
Purga col ſangue tuo ſuo folle errore,
E doue in me per natural difetto
Manca'l poter, iui tua gratia infondi;
Perche'l tuo ſanto amor non uenne ad altro,
Ch'à ricourar le pocorelle erranti.

Huius in exilium mundi, vitæq́ tenebras?
Immenſiq́ Dei ſpecies, & patris imago
In terris humili latuit ſub ueſte tot annos?
An non pro nobis ægris mortalibus, atque
Vermibus abiectis, terræq́ cupidine captis
Liquiſti æternosq́ choros, ſedesq́ beatas?
Nonne etiam diuina tuo clementia amore
Orta pio humanæ execranda opprobria gentis
Pertulit, angoresq́ graues, mortisq́ dolores,
Ut faceret, ſtrueretq́ uiam, quæ ad ſidera ducit?
Non ne etiam tua ſacra crucis pendentia ligno
Membra ſalutiferum cunctis ſparſere cruorem;
Qui veterem ablueret maculam, ſordesq́ nefandas?
Nonne etiam portaſti humeris Dux inclyte ſanctis
Languorem omnem animi mæſti, luctumq́, doloréq́,
Et quicquid natura potis delinquere noſtra?
Quare ſi fragili contectus cortice quicquàm
Læſi unquàm numenq́ tuum, legesq́ ſacratas,
Tu mea terge tuo ſancto delicta cruore.
Atque vbi vis humana minùs ualet imbecilla
Defectu naturæ, adſit tua gratia præſens:
Cùm diuinus amor ſolùm dilapſus Olympo,
Errantes ut oues ſaluas conducat in vnum.

AD B. VIRGINEM MARIAM Deiparam.

ELEGIA.

Terrarum, cæliq; decus ſanctiſſima Virgo,
Filia, ſponſa, ſoror Chriſti, eademq; parens,
Quæ ſummo Diuûm penitus dilecta parenti es,
In qua omnis noſtra eſt ſpes poſita, atque ſalus,
Ad te ſupplicibus votis, manibusq; ſupinis
Confugio in cunctis virgo beata malis.
Quæ ſanctas media ipſa regis ſacra ſponſa cohortes,
Cæleſtesq; moues, angelicosq; choros,
Ipſa eadem es ſpes magna ſatis mortalibus ægris.
Et nomen cælo nobile dulce tuum eſt.
Tu prima ad cælos aditus, tu limina pandis,
Tu ſignum in ſuperas das benedicta domos.
Tu ſuperûm regi, & communi proxima nato,
Tu ſinè peccati candida ſola notis.
Tu quoq; amicta humeros nitido pulcherrima Sole es,
Sub pedibusq; iacet Luna coruſca tuis.
Bis ſenis etiam latè fulgentibus aſtris
Cingit odoratum clara corona caput.
In te etiam immenſum fulget deitatis imago;
Quæ patris æterni pignora ventre capis.
Arca, domusq; Dei, ſedesq; micantior auro,
Nec te ipſa maior tu potes eſſe tibi.
Te Phœbus, te Luna ſoror miratur, & aſtra:

Miran-

Mirantur formam ſcilicet illa tuam.
Te mundus colit auguſtam, dominamq; potentem,
Reginamq́, poli ſidera cuncta colunt.
Si tantum Dea ſola potes, te iure ſalutis
Patronam facio, confugiumq; meæ.
Ferte roſas plenis manibus iuuenesq;, ſenesq;;
Quas fundam ſupplex virginis ante pedes.

IN OBITV IOSEPH VIPERANI fratris germani.

ELEGIA.

FRater abis? nec me ſocium tibi iungis? obisq;?
Tecum extincta meæ eſt altera pars animæ.
Nam mihi tu patrisq; loco, matrisq; fuiſti:
Tu columen vitæ, tu decus omne meum.
Per te ſpirabam frater dulciſſime rerum,
Per te incedebam lætus, & ore grauis.
Cur ſine te in terris vlla morer amplius hora?
Cur dempto charo fratre ſuperſtes ego?
Num quid vt ex imo ſuſpiria pectora ducam?
Ac miſerè infelix nocte, dieq; fleam?
Non carpunt oculi ſomnum, non membra ſoporem:
Exagitant animum curæ, ferusq; dolor.
Nox tegat atra caput, mors corporis opprimat artus;
Abſcindant vitæ ſtamina fata meæ.
Et liceat triſtes olim finire dolores,
Et vacuum ſenſu ponere corpus humi.

Atque eadem fratrum, quorum fuit vna voluntas,
Vnaq; mens, cineres contegat vrna ſacros.
Intereà iuſto date thura in funere flammis,
Et circùm multa luceat ara face.
Leni alternantes inter ſacra, uota, precesq;
Turba ſacerdotum carmina uoce canant.
Vir bonus, atque pius cæli tenet aurea templa,
Adſcriptus Diuûm ſedibus æthereis.

FRANCISCI LVPII HISPANI
Ad Ioannem Antonium Viperanum de fratris Ioſeph obitu CARMEN.

TV quoq; quid ſurdum quondam florentis Ioſeph
Quotidie irroras lacrymis Viprane ſepulchrum?
Crebra quid infeſtant ægrum ſuſpiria pectus?
Non reuocant ſurdos hominum ſuſpiria manes;
Noſtra nec extinctis poſſunt lamenta mederi.
Hactenus eſt fleuiſſe ſatis: decet otia feſſis
Reddere luminibus tandem. Si triſtia ferre
Non potes, humanis opus eſt diſcedere rebus.
Omne bonum paucis properans elabitur horis
E manibus, repetitq; illum, unde excreuerat, orbem:
Non ſecus ac varijs emiſſi è fontibus amnes
In magnum refluo uoluuntur Nerea curſu.
Magna Deûm mater grandi turrita corona
Quicquid ineſt nobis fluxum, & mortale, capaci
Colligit in gremio: vitæ nuda oſſa futura

Seruat, & implendos auris melioribus artus.
Inuerti ne uices rerum, & mortalia nutum
Expectare tuum petis, & confundere fata?
Et reuocare pios in olentia corpora manes?
Pone modum lachrymis. tenet aut Viprane piorum
Germanus ſedes, aut certo temporis orbe
Exulat, ut maculas luſtrali tergeat igni.
Mox iter ingrediens liquidum, petet aurea templa,
Qua duodena micant obliquo limite ſigna.
Pone modum lachrymis, atque inijce frena dolori;
Regna nec inuideas patriæ melioris Ioſeph.
Threïcios imitare uiros, qui extrema ſuorum
Lætitia celebrant, & dulci funera cantu.

HIERONYMO MANNELLO Epiſcopo Nucerinorum

Io. Antonius Viperanus S.

CVRE ego ſemper Hieronyme Mannelle tuum ingenium amaui; quia liberale, & humanum. Nam cùm omni poëſi, tum maximè comœdia delectaris: in qua cernis humanæ, & ciuilis vitæ ſapienter expreſſam imaginem. Quare comœdiam, quam adoleſcens compoſui, iure optimo tibi dedico. Hæc inſcribitur Filius prodigus: cuius parabola narratur in Euangelio. Sic autem inſcribitur; quia argumentum comœdiæ hæc ipſa parabola eſt. Quod quidem argumentum nonnulli etiam tractarunt, ſed ita, vt oſtenderint ſe huius poëtici artificij nullam omnino ſcientiam habere. De quo quando in libris de Poëtica multa ſcripſi, non eſt quod hic diſputem. Et quoniã Filius prodigus Gentium, alter uerò filius natu maior ſua perſona deſcribit populum Iudæorũ; duas quoque puellas finximus; quarum vna, quæ iuniori filio deſpondetur, Eccleſiam; altera, quã maior natu filius amat, Synagogam deſignat. Commenti etiam ſumus reliqua ſic, vt cum ipſo argumento facerent. Quòd ſi quæ tibi minùs placuerint, dabis veniam adoleſcentiæ; quæ nondũ confirmata præceptis, & exercitatione, nihil poteſt omni ex parte perfectum excudere.

CO-

COMOEDIA

FILIVS PRODIGVS.

INTERLOCVTORES.

SOPHRONOMVS	Senex.
CALIPHO	Senex.
EPITHYMIVS	Seruus.
DORIAS	Ancilla.
CHREMES	Adoleſcens.
PALESTRIO	Seruus.
EVANDER	Famulus.
CHARINVS	Adoleſcens.
PYTHIAS	Ancilla.
DROMO	Seruus.

PROLOGVS.

AD ſpectatores ſpectat hæc comœdia
Bonos boni ſpectatores. Abeſt enim
Hinc omnis turpitudo. Quòd ſi fabulæ
Scire argumentum uultis, animum aduertite.
Nec eſſe vos nunc Romæ credatis velim,
Sed in Theopolim tranſlatos. quem ego locum
Exopto cunctis patrium. Hic gnatos duos
Habet ciuis Sophronomus: ſed quorum minor,
Cui nomen eſt Charinus, prauis moribus
Corruptus poſtulauit à patre, quæ ſibi
Lege veniebant, bona: quibus elauit breui
Se, in Epidamnum profectus: vbi fame miſerè eſt
Coactus porcos paſcere. At quænam obſecro
Vos cepit admiratio? quia prodigum
Audiſtis fortè filium, qui in paginis
Sancti legitur Euangelij? Sit ipſus is,
Qui fingitur. Sed reliqua accipite, vt ordinem
Intelligatis fabulæ; quem texuit
Suo poëta ingenio. Pater ubi alterum
Gnatum amiſiſſe exiſtimat, uxorem alteri,
Nomen Chremes eſt, ſtatuit Philomenam dare
Amici Caliphonis. Verùmenim Chremes
Antiphilam gnatam Demeæ cupit: tamen
Ait patri ducturum ſe Philomenam. Vbi
Ea ducenda eſt, clàm rus abit, huius facinoris
Et conſcio, & magiſtro ſeruo Epithymio.

Duo

Dum in his anguſtiis pater eſt, reuertitur
Charinus inſperatò, facti pœnitens,
Atque fame factus manſuetus ex fera.
Illiq; ornantur nuptiæ. Ita argumentum habet.
Quòd ſi licere nobis ducitis ex ſacris
Monumentis quid fingere, tunc factum dicimus.
Si illud negatis, hoc negamus nos item.
Certè ſuo arbitratu Comico licet
Fingere: dum in fictione nil inſit vitij,
Ducam poëtæ muneri factum ſatis.
Verùm date operam, vt agatur cum ſilentio:
Tum ſi placuerit, lætitiæ ſigna dabitis,
Plauſu excipientes, ſicuti fieri ſolet:
Sin, quo ueniſtis huc, eo abibitis modo.
Diſcedo: nam attentos uideo: neque pluribus
Datur agere. qui primi actores ſunt, exeant.

ACTVS I.

Scena I.

SOPHRONOMVS, CALIPHO ſenes.

SEmper animus, dum ſecum aliquid ſperat mali,
Conficitur acri cura, & ſolicitudine.
Quæ res me non ſolicitant? quæ non cogito?
Ca. Sic comparatum eſt à natura Sophronome,
Vt his, quibus benè uolumus, ſemper aliquid
Timeamus, aut optemus. Nam quoties uſpiam

Abeſt

Abeſt à me gnatus, multa induco in animum,
Aut peccatũ aliquod, aut dãnũ, aut morbũ, aut necẽ.
Quoniam euenire hæc poſſunt, & communia
Videmus eſſe hominibus. Sed quid charius
Nobis eſt obſecro nobis ipſis? Vide,
Ne ex liberorum temeritate malè tibi
Sit: ac quantum fuiſti lenis, & bonus
Illis, tantum ſis aſper, & iniquus tibi.
So. Pater ſum Calipho. Ca. Scio. quid ergo agas?
Ten' vt maceres? Tu filios præ cæteris
Et honeſtè ſuſcepiſti, & liberaliter
Educaſti Sophronome. quid? non hæc tua
Te conſcientia delectat? Quòd ſi in aliqua
Re quicquàm filiorum educatio tua
Poteſt reprehendi, hac in re forſitan poteſt,
Quòd lenior fuerit, quàm adoleſcentium
Tuliſſet ingenium, & ætas. So. Ne iſta loquere:
Nec me quicquàm reprehendas hac in re velim.
Nam ego ſemper duxi melius eſſe ad bonos
Mores pudore liberos inducere,
Quàm vi, aut metu: quo ſanè ſeruos cogimus
Ad officia, non liberos; quia hos decet
Quæ oportet facere liberè.
Ca. At non facilè adeò. So. Quodnam id facile adeo?
Ca. Petenti hæreditatem iuueni filio
Concedere; cuius ingenium noras probè.
So. Hem Calipho. Ego te amaui ſemper vnicè;
Et amicitia eſt nobis inde à pueris, ita
Vt iam ſit vita, & conſilia communia:
Nunc

Nunc iſta verba loqueris, quaſi mentem meam,
Et conſilium ignores. Paucis nunc oro te,
Me vt audias, ne à me quid imprudentiùs
Factum putes cum filijs. Ca. Maneo; vt lubet.
So. *Ego duos tantùm ſuſcepi liberos,*
Quos noſti, vtrunque diſſimili ingenio ad bonas
Artes, & vitia. Nam ingenio duro, & graui eſt
Hic natu maior; attamen rei ſtudens
Magis, quàm amicis, aut equis; morem mihi
Gerere præ ſe cupidus, & dictis obſequi.
Quapropter ipſum apud me habui ſummo in loco;
Ille alter ad voluptates procliuior,
Ardens, benignus, & aliorum ſeruiens,
Suorum commodorum negligens, pati
Quiduis paratus, & facere. Quamobrem breui
Eſt animus adoleſcentis multorum mala
Corruptus conſuetudine.
Ca. *Etenim ingenium mite facilè vitium capit.*
So. *En ille quos ad amicitiam adiunxit ſuam,*
Cacobulum, & Sarcophilum, & Coſmopſiam, &
Philautum eorum principem!
Ca. *Quos ſceleratiſſimos homines mihi memoras,*
Perniciem adoleſcentium, & peſtem vrbium!
So. *Ego monere non ceſſo verbis bonis,*
Tum increpare grauiùs, mox orare, nunc
Etiam obſecrare, ne ſe ita iret perditum;
Sed vt aliquem vitæ ſuæ modum, & domus
Rationem haberet. Audiendum eſſe potiùs
Patri, quàm prauæ nebulorum libidini;

Quòd plus uideat, & ex animo cupiat magis.
Ca. *Quid ille? So. Quid? primùm meis monitis ſuis*
Dictis reluctari; facere ſe quæ ferat
Ætas, & ingenium; nulli niſi ſibi
Aut damno, aut dedecori eſſe. contrà uerò ego
Adeſſe, monere, hortari nunquàm deſtiti.
Poſtremò à me impatiens mei ſubſtantiam,
Quæ poſt obitum meum ſibi contingeret,
Petit. meliùs per ſe conſulturum ſibi.
Feci quod poſtulabat; ut ſi fortè quid
Tunc eueniſſet illi aduerſi, non patris
Acerbitatem, ſed dementiam ſuam
Doleret, atque audaciam. Quid pluribus?
Bona accepit, domo abijt, ac ſe perdidit.
Quam hic lenitatem Sophronomi accuſaueris,
Non illius potiùs inſaniam? Ca. Acta res.
So. *Sic acta.* Ca. *Num quod ad te de illo nuncium?*
So. *Nullum. ſed miſi, qui illum ubique inquireret,*
Et inuentum ad me adduceret.
Ca. *Pius es, & ualde amans tuorum Sophronome.*
Quid de altero gnato fiet? So. Quod ſæpè tu
Mihi conſulis, & à te ego contendo ſæpius.
Per hanc ergo dextram, per hanc te oro fidem,
Si tu me quicquàm amas, ſi quid iam te meæ
Senectutis miſeret, gnatam tuam meo
Committe Chremeti uxorem Calipho, atque eo,
Quo uis modo omnino. Etenim collocaueris
Gnatam benè, & tibi generum paraueris
Firmum, & mihi unicum gnatum hunc addixeris.

Ca. Nollem profectò à me tibi ullum commodum
Occludier ; quem feci ſemper maximi :
Nec eſt, quod ipſe magis optem, quàm filiæ
Virum parare ornatum rectis artibus.
Tamen, quod ſæpe te amicè commonui, atque item
Moneo, ut, dum utrique conſulitur, ne res malè
Vertat utriq;, caueamus. So. Si in utriuſq; rem
Non eſt, ne fiat. Sed quid in his eſt nuptijs,
Quod te malè habeat, obſecro mi Calipho,
Mihi edicito. Ca. Gnatum tuum amare ſentio.
So. Meum Chremetem amare! perij. quam rogo?
Ca. Antiphilam Demeæ: ac curare id ſedulò,
Sibi ut deſpondeatur. So. Me patre inſcio,
Ne dicam inuito? Ne id animum inducas tuum.
Siquidem Chremetis animum ego noui optimè.
Ca. Quid, ſi res ita ſe habeat? So. Non cogã tũc quidẽ.
Sed ſponſionem pro Chremete ego facio.
Quare ſi ſcrupulus alius non eſt in animo,
Rem, amo te, ad puellam defer: orna nuptias.
Ca. Quid agam? amico gerendus mos tandem mihi eſt.

ACTVS I.

Scena II.

EPITHYMIVS ſeruus, SOPHRONOMVS.

AMicus noſter Calipho certè mihi
Videtur perſenſiſſe herilem filium

Vxorem

Vxorem poſtulare Antiphilam Demeæ.
Quam rem dubium non eſt reſciturum patrem.
So. *Ergo meus gnatus Chremes, patre inſcio,*
Ne dicam inuito, Antiphilam uxorem poſtulat?
Ep. *Me, ſi quid herus roget, inſcientem dixero.*
Nam virgarum periculum hinc mihi graue
Portenditur: & idem hariolatur iam mihi
Humerus. So. *Neq; hæc nõ auctore Epithymio facit.*
Quem ego, ſi quid ſenſero. Ep. *Mihi obſeruandus eſt*
Senex, os, motus, dicta, factaq; omnia.
So. *Sed opportunè, quem timebam, Epithymius.*
Vocabo. Epithymi! Ep. *Herus eſt.* So. *Heus Epithymi!*
Audis, an non? Ep. *Vt metuo! Quis hic, qui me uocat?*
O here mi, tu ne me? So. *Sic eſt: te ego. quid hic*
Rerum ſolus agis? Ep. *Ex portu, ſi de tuo*
Charino fortè quid noui.
So. *Laudo hominem. tantùm non gaudes fallacijs.*
An vera, ſi rogauero, reſponderis?
Ep. *Ego ne aliud here tibi, quàm quod ſentiam?*
Verùm quid eſt, quod me rogas tandem? So. *Audies.*
Ep. *Auſculto. loquere.* So. *Chremeti filio volo*
Vxorem dare. quid ais? probas? Ep. *Probo.*
At verò quam das? So. *Caliphonis filiam.*
Ep. *Honeſta forma, & indole dicis virginem.*
Et quis dies eſt dictus iſtis nuptijs?
So. *Hic: ni quis dæmon interturbet. attamen*
Amarè illum Antiphilam iſtius audio Demeæ.
Ep. *Hoc primum de Antiphila verbũ.* So. *Quid? ille te,*
Quem habet intimum, cui ſe, & ſua credit omnia,

Minus

Minùs ad hanc rem auctore vtitur? Ep. Dixi tibi
Hoc me primum de Antiphila uerbum. Et quid meo
Illi conſilio, quæſo, opus eſt ad nuptias?
Vbi labore opus eſt, tunc nos vſui ſumus:
Si quid tum negligenter, tergo ſoluimus.
So. Mihi celas! Ep. Falleris. So. Vtinam id vnũ modò.
Ep. At certè falleris. So. Priùs (vt ferunt) aquam
De pumice, quã ex te ego verũ. Ep. Falleris. Age, quis
Narrauit? aut quî hoc in mentem venit tibi?
So. Nolo hic tecum. artes noui, & ingenium tuum.
Caue, ne quò mea lenitas maior fuit,
Sit grauior in te aſperitas. Ep. Dum nihil ſiet
A me peccati. So. Hoc ipſum abs te flagito. Tibi
Ergo prædico, ne ad diſciplinam tuam
Redeas. nam ad ærumnarum terminos tuam
Vitam redegero. Abſtine à malis dolis.
Aduerte mentem, ne aliquando in te etiam luam
Peccata iunioris. non me (ſummum Deum
Teſtor) benigno hero vteris. dedam te ego
In carcerem teterrimum, adducam ad trabem,
Suſpendam, cruciatus in te omnes conferam.
Nec eximeris inde vnquàm. miſerrimum
Epithymium faciam omnium mortalium.
Prædixi. tu, ſi quid ſapis, tibi conſule.
Ep. Efficiam, ne quid culpa contingat mea.
So. Ego hinc gnatum conueniam, vt ne tecum priùs.
Ep. Iſtuc eſt ſanè rectius. non me quidem
Tunc impulſorem dixeris. Deus bone,
Quanta eſt interminatus! atqui obduximus

Callum. familiare eſt tergum. res quò exeat.
Expecto, ut uideam unde noua conſilia ordiar.

ACTVS I.

Scena III.

DORIAS ancilla, EPITHYMIVS.

VTinam mihi nunc obuius fieret in hac Chremes
 via.
Ep. Quò pergit illac Dorias ancilla Antiphilæ?
Do. Omnem locum
Luſtraui oculis, nullum inueni. Ep. Heus tu Doria?
Do. O, ſalue Epithymi.
Chremes ubi? Ep. Eum ipſum quærito. Do. Quãobrẽ?
Ep. Hem? Do. Quid iſtud eſt, rogo?
Ep. Id, quod uobis, atq; illi ſatis iniucundum ſcio fore.
Do. Quid iſtud eſt? Ep. Næ haud fas eſt me uobis.
Do. Amabo te. Ep. Scies.
Do. Nunc. Ep. Haud licet. Do. Cur non? Ep. Potin
tacere? Do. Quid ego ni? optimè.
Ep. Chremetem noſtrum Aotiphilam ueſtram ducere
haud placet ſeni.
Do. Quid audio? Ep. Sic eſt. Do. Qui ſcis? Ep. Mo-
dò ex ipſius ore. Do. Ain?
Ep, Aio. Do. Deludis. Ep. Ha ha he, lapidi loquor.
Do. Et quis mortalium
Quotquot ſunt, & fuere, ſceleratiſſimus patefecit
hanc

hanc

Rem patri? Ep. Veſtrûm aliquis. Do. Noſtrûm aliquis Epithymi? haud quidem eſt ita:

Sed veſtrûm. Ep. Tanquàm vos non diffluatis rimis vndiq;:

Quibus alienum adeò eſt taciturnitatem ſeruare, & fidem.

Do. O improbum caput! Ep. An quæ veſtrum inuenta muta eſt vſpiam?

Quid? non duæ loquaciores eſtis, quàm vna? Do. Siccine

Nos ludibrio habetis? at eloquere, quî reſciuit hæc ſenex.

Ep. Ex Caliphone. Do. Intelligo. certè is cupit gnatam ſuam

Chremeti deſpondere. proh Deum, quem nunc habes virum,

Cuius fidei quicquàm committas! proximus quiſque eſt ſibi.

Nec ille nos, dum conſulat ſibi, quicquàm omnino reſpicit.

Verùm Chremes quo animo eſt? mihi dic corculum meum Epithymi.

Ep. Nondum quid ſenſit. ipſum ego nunc harum rerũ gratia

Perquiro: tu, puellæ ne quid ſignifices horum, caue;

Ne quam moleſtiam afferas. ego hinc abeo. nam omnem moram

Timeo; ne illũ imparatũ aggrediatur dictis ſuis pater.

Do. Dum Antiphila nuptias parat, altera occupat uirum. vah uti
Incerta ſunt, in uita quæ ſperamus. Ille coniugem
Ducet aliam: hæc dolore ſe confecerit miſeram. At domum
Feſtinò pergere, ut Antiphilæ narrem omnia.

ACTVS II.

Scena I.

CHREMES adoleſcens.

Pater meus Sophronomus, ex quo perdidit
Gnatum minorem non ulla quidem ſua
Culpa, ſed illius uitio, qui maluit
Viros corruptores ſequi, quàm (ut æquum erat)
Hærere patris monitis, uitam omnem in graui
Mœrore exegit. Etenim illum ſemper opere
Summo dilexit. Ego tamen præ me ſenis
Leuare luctum ſtudui, ut filium decet
Pium, nec inſolentem; qui obſequentiam
Patri facere optimum in uita ducit ſua.
Nunc ſtatuit omnino uxorem mihi dare
Philomenam Caliphonis, quæ in uicinia
Illa eſt. ſed illa eſt mihi ab animo: tum etiam fidem
Meam Antiphilæ obſtrinxi. tamen ille ad nuptias
Monendo, ſuadendo, rogando compulit.
Roganti imprudens annui: ne fortè quam

Triſtitiam illi ingererem. iam facti pœnitet.
Sanè eſt moleſtum uxorem ducere, quam oderis.
Sed & negare quod tute promiſeris
Eſt impudentis. Haud ſcio quid conſilî
Captem hic, aut faciam, ſi inſtet ut ducam pater.
Vtinam mihi nunc occurreret Epithymius,
Homo natus ad ſtruendas fraudes, & dolos.

ACTVS II.

Scena II.

EPITHYMIVS, CHREMES.

VBi amplius quæram? quem inueſtigem ampliùs
Locum? quos percontabor ampliùs homines?
Niſi domi eſt, nuſquàm locorum, aut gentium eſt.
Ch. Quàm uellem Epithymium fieri mihi obuiam!
Nam ex me nullam queo comminiſci inſaniam.
At eccum illũ ad nos. Ep. Greſſum grandibo. Sed en
Illic Chremes. accelero me. Ch. Ohe quàm cõmodus,
Et opportunus ſis mihi Epithymi, mea
Voluptas, mea uita, meus ſpiritus. Ep. Mei
Indiget is, qui ſic blanditur. Ch. Etiam. Ep. Scio.
Ch. At adiuua, rogo. Ep. Quid te adiuuẽ? Ch. Quid? hem!
Ep. An quid tibi cum patre? Ch. Conuenit me modò
Domi imparatum. Ep. Quæ tibi igitur cum patre,
Narra. Ch. Pater ut recepit ſe ſe in cubiculum
Solus, ſolum me iuſſit ad ſe accerſier.
Eo. ille me manu apprehendit, & ſimul

Oratione blanda alloquitur. Chare mi
Fili Chreme, ſolamen vnicum meæ
Senectutis, columen domus, ſpes familiæ,
Nemo in vita eſt, cui meliùs, quàm tibi velim:
Quantiq; apud me ego te ſemper fecerim,
Noſti ipſemet: quem ſemper dilexi vnicè;
Cuiusq; ingenio volui in rebus omnibus
Pro re noſtra obſequutũ. Ad quæ ego mox, mi pater
Non diſsimulo merita tua, & ſtudium tuum
In me: viciſſimq; ego mihi vitæ modum
Statui ex animo tuo. at quorſum hæc oratio?
Ep. Vterq; pro ſe prudenter, & amicè. age,
Reliqua. Ch. Tum ille. quia iunior frater tuus
Periit, ſolus vitæ ſuperſtes tu es meæ.
Quòd ſi te mihi (quod omen auertat Deus)
Mors vnquàm eripiat, tota conciderit domus
In ætate graui. Quarè, ſi patrem licet
Orare filium, magis, & magis obſecro;
Nam pergratam mihi rem, & vtilem tibi,
Atq; etiam honeſtam feceris; vxorem Chreme
Vt ducas. Ep. Optimè conſultum filio.
Ch. Dixi ducturum me. Pater tunc filiam
Oſtendit Caliphonis me dignam viro.
Iam conueniſſe cum patre; alias nuptias
Nunquàm probaturum ſe. Ep. Vt iſtud os tuum
Inſpexiſſem tunc miris mutatum modis!
Quid ergo tu patri? Ch. Me charitas patris,
Pudorq; vicit. Ep. Annuiſti hoc etiam? Ch. Ita eſt.
Nunc animi diſcrucior; nec quid agam habeo; negem

Ne

Ne inhoneſtè, an illam miſeram iniquè deſeram?
Quamobrem Epithymi ſalus, & confugium meum,
Hîc nunc vide, fac, finge, ne detur mihi;
Si me ſaluum eſſe vis. Ep. Quid? ſeruem vt perditū?
Hoc ſimile eſt mortuum excitare ab inferis.
Tuo te gladio iugulaſti. haud equidem patri
Oportuit ſubitò aſſenſiſſe. Ch. Quid igitur?
Patri abnuiſſe? Ep. Ne hoc quidē. Ch. Quid ergo tūc?
Ep. Quæſiſſe ad cogitandum tempus: habere nunc
Animum alienum à nuptijs: moram moræ
Annectere; donec aliquis è cælo Deus
Tibi affulſiſſet. Ch. Atqui imprudens annui.
Ep. Et pœnitentia imprudentiæ eſt comes.
Ch. Actum eſt: uerumtamen ſeruare me potes,
Si vis. poëta enim es ad res iſtas vnicus.
Ep. Sed cū meo ſemper malo. Ch. In te ego Epithymi
Rerum mearum ſpem pono; totum tibi
Me dedo. re ipſa cognoſcam quanti ſim apud te.

ACTVS II.

Scena III.

DORIAS, CHREMES, EPITHYMIVS.

R*Em omnem ego teneo: tu verò ne te ita afflictes, oro, mea*
Antiphila. Ad Chremetem hinc ibo; conueniam hominem, commonebo

De data tibi fide. Si humano ingenio eſt, commouebo.

Interim quieſce; ſegrega à tuo animo omnem moleſtiam.

Ch. Doriam uideo Antiphilæ ad nos recta: perſenſit quidem illa

Hoc malum. Ep. Tu mulieres unquàm celare poſſe quid putas?

Non ita Argus eſt oculatus, non auritus eſt ita Geryon,

Vt quidem tibi fæmina eſt, habens oculos, & aures ſemper

Peruigiles, ſemper timens ſibi, ſemper pauens, & pallens.

Do. Si Chremes in uxorem accipit Philomenam, & huius nuptias

Reſpuit, non tunc ego clamabo diuinam, & humanam fidem?

Verùm ubi locorum nunc ego miſera illum inueniã? Ch. Multa

Illa ſecum. Doria? Do. Audiuiſſe uocem uiſa ſum mihi

Ipſius Chremetis. Ch. Doria. Do. O Chreme, te ipſummet quæro.

Ch. Cur? Do. Rogas? miſeram me. Ch. Quid moleſtiæ iſtud eſt? Ep. Effare.

Do. Tu ne etiam ſcelus? Non eſt, quòd diſſimuletis. Ch. Quam rem? amabo.

Dc. Quam? nouas iſtas, & optatas iam à uobis nuptias.

Ch.

Ch. Hem!

Do. Hem! taces; quia ueræ ſunt. Ch. Vnde nuptiarum ſermo

Ad uos? Do. Is ſanè iam rumor eſt in urbe. Quare illa, à te

Vt ne deſeratur, admodum timet miſera. Ch. Ipſam ego ut ne

Deſeram! ah quod ex ore tibi uerbum Doria. Do. Ehu nos miſeras.

Ch. Aut ego illam ducam Doria; aut nullam aliam unquàm duxero.

Do. Si tua non ſponte duces Philomenam; at patri ut placeas tuo.

Ch. Stat ſententia: nec fluxam fidem gero, nec me coget pater.

Dexteram dedi: fidem ſeruabo. Sed redi hinc ad illam.

Doria: atque, ut animo ſit bono, iube Chremetis nomine:

Nec rumorem ullum timeat, mone. Do. Reſpiramus. Ep. Quid hic tu

Stas? cur uerò non abis? Do. Quin abeo. Ep. Feſtina. Do. Sceleſte.

Multa parata eram obijcere; at ſuis me verbis emolliuit:

Quæ ex animo loquutus ſi eſt, nihil dubitandum eſt Antiphilæ meæ.

ACTVS II.

Scena IIII.

CHREMES, EPITHYMIVS.

QVid verò mihi Epithymi faciendum censes? quam medelam
Afferes huic morbo? Dolos ſtrue: hic vſu eſt audacia.
Ep. Cogito; ſed nullam comminiſcor. Ch. Qui ingeniũ geris tam
Callidũ ad quamuis fraudationẽ heri, nunc à tuo illo
Te recipis vetere ingenio, ne me adiuues? Ep. Abi verò tu hinc.
Ad tuorum amicorum aliquem. Scilicet hic ego morabor:
Vt, ſi à Caliphone fortè quis mihi. Ch. Facio quod imperas.

ACTVS II.

Scena V.

PALESTRIO ſeruus, EPITHYMIVS.

HVc, illuc curſitando fame pereo miſer:
Totusq; venter crepitat, & viſcera mihi

Neſcio

Neſcio quas turbas faciunt inter ſe malas:
Faucesq́; adhærent adeò ſiccæ, & aſperæ,
Vt ni liquorem aliquem infundas, vocem obſtruant.
Tuſſire, & excreare hoc totum inane erit.
Ep. Paleſtrionem video ſeruum virginis,
Quæ vxor ducenda Chremeti herili filio eſt.
Pa. Nunc imperatur hoc, nunc illud; ac modò
Surſum, modò deorſum: nunc illi, nunc huic
Danda eſt continuò opera. Ep. Obſeruem quid iſte agat.
Pa. Neq; otium vllum nobis. Ep. Quam rem ille queritur?
Pa. Neq; manus ad laborem ſufficit, neque
Pes ad curſum. Et(quod grauius eſt)neq; gutturi
Lætitia, neq; vllum gaudium ventri datur.
Ep. In poculis eſt, & patinis. Pa. Malè ita agitur.
Ep. Quibus ille nunc laborat, aut vigilat miſer?
Pa. Et quis erit vnquàm, qui appetitionibus
Satisfaciat mulierum? illud non, hoc placet:
Hoc nolo, illud volo: eò i, eôdem mox redi.
Vtinam vna peſtis omnes unà abſumeret.
Ep, Ira ardet; & iræ cauſam haud planè intelligo.
Pa. Vbi Philomenam nubere perſenſere, tum
Omnes mulieres aduolarunt illicò.
Veſtes illa, iſta pectus, hæc vincit comam.
Atq; ita pro ſe quæq;, vt ſtrepitũ ingentẽ haurias.
Ep. Hem! nuptias audio. hominem adeo. Plurima
Salute ſuum Paleſtrionem Epithymius
Donat. Pa. Paremq́; tibi reddit Paleſtrio.

Verùm

Verùm quid otioſus hic deambulas?

Ep. Aliena tu ne curas! Pa. Non. Sed hæc tamen.

Ep. Quæ hæc ſunt! Pa. Quaſi ignores! Ep. Nihil equidem ſcio.

Sed dic apertè quicquid eſt. Pa. Eccum tibi

Simulatorē catum: ha ha he. Ep. Quid tu rides, ſcelus?

Pa. Quid tu me ineptè celas ſumme furcifer?

Ep. Quidnam te celem? Ego mihi viuo. tamen,

Si nos amas, rem fac palàm. Pa. Num te latet

Chremeti veſtro Philomenam noſtram dari

In vxorem? Ep. Quid audio? vera loqueris?

Pa. Fallaciarum machinator maxime.

Ep. Dic mihi; conuentū ne eſt inter patres? Pa. Etiam.

Ep. Quid virgo quàm bono eſt animo? læta ne ſatis?

Pa. Nec hilarior viſa eſt mihi, nec ſubtriſtior,

Vbi ipſam deſpondiſſe Chremeti filio

Sophronomi nunciauit Calipho pater.

Etenim verecunda eſt virgo, caſtis moribus

Morata, patris obſeruans, & artibus

Bonis inſtructa, quæ honeſtas mulieres decent.

Ep. At miror. Pa. Quid? Ep. Animum appuliſſe ad nuptias.

Pa. Quem? Ep. Quem? Chremetem. Pa. Cur? Ep. Quoniam à re vxoria

Abhorret. Pa. An quia fortaſſe amat? intelligo.

Dic obſecro quam amet. Ep. Haud æquum eſt mihi

Sinè vllo veſtro commodo parare. Nam (maliū

Si nuptiæ non fient; diſturbaſſe me

Subitò clamabunt. Equidem eſt cauto in vita opus.

Pa. Et accuratè Calipho rem aget ſuam.
Ep. Paleſtrio non eſt æquum hac ad herum tuum
Referre; quæ à me interturbandi gratia
Narrata non ſunt. Pa. Vale Epithymi. at Philomenæ ego
Volo proſpectum. namq; amo mores virginis.
Ep. Acri ſtudio incendimus hominem; qui, quò magis
Taceri poſtulo, eò magis hæc (vt hominis eſt
Ingenium) diuulgabit. Operam mihi dabit
Ignarus. Sed cur ire iam ceſſo domum?

ACTVS II.

Scena VI.

SOPHRONOMVS, EPITHYMIVS.

EGo hinc ad cognatos, & affines eo: quos de nuptijs
Certos faciam. Ep. Properato opus. So. Sed en properè huc Epithymium.
Id temporis domo abes Epithymi, cùm vxor eſt ducenda meo
Chremeti? Ep. Num Philomena? So. Sic eſt. Ep. Gratulor tibi de nuptijs,
Quas ſummopere deſideraſti: & quod ueritus es, ne te ego
Dolis deluderē, ſuperis nunc habeo ingentes gratias,
Quòd falſus animi ſis. Cur enim ego tibi hero incommodem meo,

Et accerſam mihi temere malum? Tandem hanc de me malam
Opinionem pone, ex conditione ſeruorum magis,
Quàm ex ingenio meo ſumptam. So. Pro ſe bonus vtique iſte vir
Aptè dicit. Ep. Equidem velim probatam meam operam tibi,
Et cognitam ſemper fidem. So. Tua ſanè re feceris,
Si non, vt ſeruorum vulgus prauum ſolet, fallacijs
Aduersùm herum vtaris, quò iuuenis auſcultes libidini.
Sed iam ſatis verborum. tempus aliud à me poſtulat.
Abi intrò. exornate cuncta diligenter. Ep. Optimè.
So. Facite, vt parata ſint in tempore omnia.
Ep. Maximè. So. Ego mox apparebo domi. Ep. Audio.

ACTVS III.

Scena I.

CALIPHO.

RECtè ego de animo Chremetis dubitaui ſemper; rectè meam
Philomenam ſum veritus committere iuueni alio amore
Mentem implicato. Me nunc excuſatum Sophronomus habeat,
Si muto fidem. ſiquidem ego filiæ meæ volo benè
Con-

Conſultum. Equidem ſi alienum à nobis animum habet Chremes,
Philomena non erit coniux illi, ſed odium maximũ.
Cùm enim diſcordabilia ſunt inter ſe coniugum ingenia,
Semper malis contentionibus conquaſſatur domus.
Iurè ergo pater onerare filiam nolo rebus malis.
Et cur ſibi perſuadere non poteſt Sophronomus filiũ
Partem in aliam mentem applicuiſſe? an non hæc eſt inſania?
Idcirco patres, quos bona liberorum exiſtimatio
Fallit, peccata liberorum ipſi reſciſcunt vltimi.
Non eſt igitur, quòd Sophronomus nos poſthac ampliùs roget.
Ego filiam locabo alij: aliam vxorem ille poſtulet.

ACTVS III.

Scena II.

SOPHRONOMVS, CALIPHO.

REuertor, vt videam quæ facta ſint domi:
Tum Caliphonem conueniam, ne quid moræ
Interponatur. aſt ille properanter huc.
Saluus ſis Calipho. Ca. Tu quoque ſaluus ſis Sophronome.
So. Cur te uideo ſubtriſtem? quid iſtud eſt? Ca. Quia
Dum commodis tuis volo proſpectum, meæ

Phi-

Philomenæ vitam penè deluſi miſer.
So. Hui, tam citò immutatus es mi Calipho!
An non placet gnatam tuam dare nuptui
Gnato meo Chremeti? Ca. Animus adhuc mihi
In dubio eſt. So. Cur? Ca. Dixi olim. So. Quid tu olim
Ca. Chremetē amare Antiphilā; noſtras nuptias, (mihi?
Atq; genus repudiare. So. Iſthæc ſuſpicio iam
Vnde tibi inceſſit? Ca. Vnde? vetus eſt fabula.
So. Quis Calipho nos dolis malis circumuenit?
Ca. Volo mihi ſapere. So. An non ego ſententiam
Chremetis tentaui adeò? Dixi velle me
Vxorem illi dare; annuit: gnatam tuam;
Aſſenſit: hoc die; quando vellem mihi
Reſpondit; & ex animo ſe facturum meo
Cuncta affirmauit. Explorani adhæc etiam
Si mentem aliò appuliſſet: atque ab omni
Alio remotum perſpexi negotio.
Hæc ſumma, placere ille mihi ſtudet, & obſequi.
Quid igitur hic periculi nunc eſt? quid ais?
Quæ religio? aut quæ fabula? aut quæ ſomnia
(Liceat quæſo mihi pace tua hæc dicere) tuum
A nuptijs animum deterrent? eloquere.
Ca. Primùm eſt is rumor, eum velle Antiphilam: dein
Multi me amici commonuere, vti meæ
Gnatæ alia conſulerem via: tum id denique
Ex intimo Chremetis prorſus comperi.
So. Quis iſte Chremetis intimus, qui ſic te agit
Aſtu, & mendacijs? eloquere Calipho.
Comperies inuidia fictas ſycophantias.
Ca.

Ca. Hic nullus aſtus eſt, nullæ ſycophantiæ.
So. Dic intimum. Ca. Haud æquum arbitror in periculū
Vllius vitam, & famam adducere. So. Quaſi non
Siem potis tacere, quod commiſeris
Meæ fidei. Sed dic, vt diſſuam dolos.
Ca. Meus ſeruus Paleſtrio reuertens domum
Epithymium ſeruum in via offendit tuum:
Quocum vnà dum colloqueretur de nuptijs,
(Et liberè quidem ſolent ſerui de heris
Inter ſe colloqui) Chremetem vi magis
Ad nuptias impelli, quàm ſpontè cupere
Affinitatem noſtram, intellexit; meæ
Vnde metuo Philomenæ: quam quidem amo vnicè.
So. Proh diuinam fidem, quem auctorem nominas,
Epithymium! Ca. Si quidem aſtum ineſſe exiſtimas
In illius dictis, ſcito è ſententia
Chremetis fieri, vt has confingat fabulas.
So. Erras. Ca. Quamobrem ergo hæc ille comminiſcitur
Præter ſpem proprij commodi? So. Quia malus eſt
Animus, mala mens; tātùm mihi ut incōmodet hero.
Ca. Quid, quod etiam idem omnes vna voce me monēt?
So. Ex ſe quia mali ſunt; & inuident mihi.
Et quis animum Chremetis nouit me magis?
Quapropter Calipho te per fidem tuam,
Per Philomenam gnatam, per ſanctam, atq; veterē
Amicitiam noſtram magis, & magis rogo,
Vt hanc ſuſpicionem tandem à te remoueas.
Ego ipſe efficiam, vt falſa agnoſcas quæ tibi
Fuere de Chremete narrata improbè.

ACTVS

ACTVS III.

Scena III.

EVANDER famulus, SOPHRONOMVS, CALIPHO.

SVm totus ex itinere feſſus, atq; vtinam aliquid
Effeciſſem; viderentur leuiora mihi omnia.
Atq; hoc certè grauius, intemperanter quòd feret
Herus, vbi me ſinè filio redeuntem viderit.
So. At interim Euandrum venientem longè hinc conſpicor. Ca. Ipſus eſt.
Eu. Quæ non perquiſiui loca? quos non ſum percontatus homines?
Proh iuuenilem dementiam! quò miſeriarum ſe ſimul,
Et nos coniecit! So. At ſolus venit. Eu. Leuandus eſt ſenis
Animus ſpe aliqua: fortè interim fortuna aliũ caſum afferet.
So. Quid ceſſo iam vocare ad nos hominem? Euander? te ego voco.
Euander? Eu. Hem? ſalue. So. Incolumem rediiſſe te ad nos gaudeo.
Satis ne rectè? Eu. Rectè. So. De Charino quid? Eu. Cuncta ordine
Narrabo. Ego hinc profectus rectà ad Epidamnum direxi

direxi iter,
Vrbem, in quam confluere ſolet quoduis ſceleroſorũ genus,
Lenones, gnatones, meretrices, adulteri, ebrij,
Molles, impuri, periuri, inſolentes, maleuoli, impij,
Odioſi, aleatores, deceptores, fures, ſicarij,
Omniſq; nebulonum grex otio, & luxu effluens:
Quoniam arbitrabar eò Charinum abijſſe. Eò igitur tenui iter.
So. Quid illic rerum? Eu. Eò loci vbi accedo, reperio publicos
Ludos, mimos, chorêas, comeſſationes, pocula,
Vnguenta, balnea, cantus, & quicquid delitiarum poteſt
Excogitarier. Quid plura? id vnum omnes illic ſtudent,
Cutem vt curent, & genio indulgeant ſuo.
So. Quid verò tum? Eu. Inuenio noſtratum plures: alloquor, rogo,
Si de Charino quid mihi. Dicunt olim vidiſſe ſe,
Cùm primùm Epidamnum aduenit ex Theopoli; atq; aliquot ibi dies
Fuiſſe commoratum cum comitibus, quos adduxerat
Secum. Sed enim breui bona omnia decoxiſſe, quæ ex patria
Portauerat; vt eſt omnium vſus, qui illic vitam agunt miſeri,
Inertes, otioſiq; homines: tum coactum præ inopia
Seruire ſeruitutem miſeram. So. O infelicem filium,

Qui audire patri noluit:ita nunc meritam ærumnam exigit.

Eu. Ego illos pluribus oro, vt me doceant locum, atque herum. Docent

Illi me iuxta Epidamnum regionem, Trachalim incolæ vocant,

Quam poſſidet Aſmodius Epidamni princeps. tunc ſtatim me eò

Traduco. verùm quo regionẽ vobis deſcribã modò!

Frequentem ſyluarum, aſperam montibus, obnoxiã malo

Ioui, niuibus, ventis, procellis, fulminibus, triſtem, horridam,

Deſertam, & incultam, plenam feris, porcorum pabulis

Tantùm gaudentem. Sed & ea, quæ tum illic habitabantur, loca

Ingens inuaſerat fames, vt mortales quàmplurimi

Exanimarentur. Hic audio Charinũ per multos dies

Pauiſſe porcos. ſed tandẽ ſuã profectum ad patriã.

Mox ego nulla mora interpoſita huc redeo; neque interim locum

Vllum obuiam omitto, quem non explorem ſtudioſiſſimè.

Quamobrẽ tuus gnatus ſi hic nõ eſt, quid conijciam neſcio.

So. Tu cuncta rectè: at ille nunquàm ad nos. Abi verò domum

Intrò, vt quieſcas: atq; Epithymiũ venire ad nos iube.

Nam,

Nam, quò minùs inter nos conficiamus contractas
nuptias,
Non per Chremetem ſtabit. aliquando Epithymium
ſeruum audies.
Aut ſi minùs probes Chremetem, & alter redeat,
tum loces
Illi Philomenam. ſiquidē affinitatē ego tuam Calipho
Valdè expeto. Ca. Conabor obſequi ſtudio pro me tuo:
Quanquā mihi Charinus ſemper in animo magis fuit.

ACTVS III.

Scena IIII.

EPITHYMIVS, SOPHRONOMVS, CALIPHO.

TImeo ſatis ab hero, & metu labant genua. inſpe-
cto vbi ſiet.
So. Exi foras ſceleſte. quid per oſtium inſpectas ſcelus?
Vt audax incedit ſuis peruerſis artibus, & dolis!
Vt perfricuit frontem fur, & trifur, dignus quauis
cruce!
Ep. Deus me benè ſeruet. So. Eodum ad me. audin'? me-
rite, in cuius humeris
Pix atra luceat. at propiùs accede. Dic mihi bone
Vir? Ep, Quid? So. Quas modò ſycophantias ſtruxi-
ſti in hiſce nuptijs?
Ep. Nullas. So. Nullas! ita ne à te me ſemper patiar

deludier?

Ep. *Quid iſtud obſecro?* So. *O nequiſſime omniũ mortalium!*

Ni te miſerrimum reddidero flagris, nunquàm ab artibus

Ceſſaueris malis. En Calipho intuere os impudens.

Ep. *Quid iſtud morbi eſt?* So. *Quidnam muſſitas magne ſcelerum artifex?*

Hoc ne animo ſtatuiſti tuo, vt mihi ſemper malè faceres?

Ep. *Quin iſtud, quicquid eſt, apertè dic tandem.* So. *Cur nuptias*

Interturbas? Ep. *Egon?* So. *Tu. ſic eſt; tu.* Ep. *Diſcrucior. quo modo?*

So. *Quis Caliphonis ſeruo dixit abhorrere à re uxória*

Chremetem; aut aliam vxorem velle? nunc verò ſe fingere?

Ep. *Nego hoc dixiſſe me.* So. *Negas?* Ep. *Nego.* So. *Siccine tu Sophronomum?*

Ep. *Deum magnum tibi teſtem do, abeſſe à me hãc culpam: aut malè*

Perdar, ſi hoc in animo fuit meo. So. *O religioſum virum!*

Ep. *Vtinam nunc eſſet hic præſens Paleſtrio, vt conuincerem*

Illum mendacij! Ca. *Sophronome omitte. quid tibi obſecro,*

Mihiq́; cum ſeruo? So. *Epithymi, ad me reſpice. ſi te offendero*

Quic-

Quicquàm; vinctum manibus, & pedibus dedam in eum locum, vbi tibi
Lucis tuendæ nunquàm fiet copia. audin'? Ep. Audio.
So. Quin hoc magis volo Calipho, Chremetis vt tu ipſe & animum,
Et mentem agnoſcas: alloquaris, tractes, ſentias. Ca. Faciam.
So. At tu eminationem noſtram ne facilè temnas, caue.

ACTVS III.

Scena V.

EPITHYMIVS.

QVanto in metu ſiem, & periculo miſer,
Dici haud poteſt. namque hinc acerbitas patris,
Hinc filiorum temeritas ſæpe afferunt
Mihi famem, plagas, piſtrinum, compedes,
Molas. ita ex aliorum delictis ego
Permagnum quæſtum facio carcerarium:
Sapitq; flagra tergus, & neruos olet.
Nec quam viam inſiſtam video, nec quid ſequar.
Nam dum placere ſtudeo liberis, patris
Minas, & verbera incurro. quòd ſi patri
Officioſum me præſto, perij à liberis.
Sic incertum eſt cui ſeruiam ex ſententia.

Ergo vndiq; Epithymio ſeruo impendet malum:
Cui, quam dat alijs, opera damno vertitur.
Quis ergo non libentiùs liber velit,
Suoq; iure ſemper viuere, quàm alijs
Seruire vel diem vnum? præſertim ſeni
Duro, graui, moleſto, iniquo, acri, aſpero?
Qui à iunioris diſceſſu me vſque infenſiùs
Obſeruat, vt meritò timeam ſuſpendium.
Hæc quippe teſtamento ab ortu iam mea
Legauit ſeruitus mihi, manicas, molam,
Caueam, virgas, cathenas, piſtrinum, trabem.

ACTVS III.

Scena VI.

CHREMES, EPITHYMIVS.

HVc, & illuc impellor, dum incertus ſum quid agã. quòd ni me
His malis Epithymius expediat, multis excruciabor modis.
Ep. Vt plenus laborum incedit! ut libenter obſeruo hominem!
Ch. Quàm velim conuentum illum. Ep. Conuenies. Ch. Vt quid egerit ſciam.
Ep. At nihil actum intelliges. Ch. Si quod dum remedium inuentum eſt huic
Morbo. Ep. Adhuc nullum inuentum eſt. Ch. O

Epi-

Epithymi ſiccine ex inſidijs
Me obſeruas? Ep. O mi Chreme quî, amo te, uales?
Ch. Rogas quî valeam?
Vt tu me ualere uis. ſiquidem in manu tua ſalus mea
Eſt ſita. Ep. Quære patronum alium. Ch. Cur ita. Ep. Nam adiuuare nullo
Te modo amplius poſſum. Ch. Quod audio nunc à te verbum?
Vis vt angar peſſimis incommodis? Ep. Opus eſt perfectum
Reddere, quod promiſiſti. quam tu tibi rem malam quæſiſti,
Nunc exigere te neceſſum eſt. Ch. Enecas. Ep. Quã ad hanc rem me putas
Poſſe induſtriam afferre, tibi quæ ſiet uſui non abſque
Ingente meo malo? Ch. Sic te ſuperi ſemper felicitét,
Vt potes prodeſſe vtrique. Ep. Verùm audi vt tranſacta res eſt:
Caliphonis ut uidi ſeruũ, illi perſuaſi te ab iſtis (bitò
Nuptijs abhorrere. ille mox hero hoc retulit, qui ſu-
Ad patrem tuum adijt: quocum expoſtulat; me au-ctorem nominat.
Ergo vocor. nego me quicquàm horum. neq; enim illi teſte me vllo
Tunc poterant conuincere. Ch. Cur verò non aiebas me à nuptijs
Alienum? Ep. Timebam quippe mihi. Ca. Pater nõ me accerſiſſet?
Ep. Bellè. me tuiſmet verbis arguiſſent. iuſtã repperiſti

Cauſam, qua ſubitò me in piſtrinum darent. Ca. At indicaſſem
Tunc meum ſenſum. Ep. O virum conſtantem, qui patris nutu ipſo
Terretur. Periculum ego tam grande adire nolui. Ca. Hem, quid?
Ep. Quin tace. noui tuum ingenium. Ch. Quid igitur facto opus mihi eſt?
Ep. Vt ducas. Ch. Non equidem adducar, vt ducam. hoc ita ægrè animo meo eſt.
Ep. Hanc igitur vnã viam tentare oportet. Ch. Quam, te amabo?
Ep. Vt modis omnibus abſterreatur Calipho. Ch. Fac quæ lubet.
Ep. At flagris ego pro te implebor. Ch. Ne id dubita. pro te ego apud patrem,
Si quid inde periculi. legato hoc tu mihi negotium.
Ep. Hinc igitur ego Doriam: domum tu abi. Ch. Facio quod imperas.

ACTVS IIII.

Scena I.

CALIPHO, EPITHYMIVS, DORIAS.

AMici ſtudijs obſequendum eſt. Ep. Opportunè hac ille. ain'

No-

Noſtri Chremetis eſſe iſtas litteras? Do. Sic eſt. aio. Ep. Manu
Sua ſcriptas? Do. Sic eſt. Ep. Atq; obſignatas proprio anulo?
Do. Sic eſt. Ep. Ad Antiphilam? Do. Sic eſt. Ep. Veſtram? Do. Sic eſt. Ep. De nuptijs?
Do. Quoties idem tibi vis à me dici? Ep. Siccine Doria?
Ca. Quid illic Epithymius cum ancilla Demeæ? ſi ea eſt tamen.
Ep. Siccine commenta fingitis ad turbandas nobis nuptias?
Do. Siccine Chremes veſter fidem nobis datam irritam facit?
Nos vſque in hunc diem bonis verbis produxit, vt virum
Alium Demea nondum ſuæ quæſierit filiæ. His modis
Nos miſeras Epithymi deluditis? Non hæc Deus aſpicit?
Ep. O incredibilem audaciam mulierum! Do. Deus horum fidem!
Ca. Quid illic litigant? Ep. Vtinam tranſiret hac aliquis via,
Qui cerneret veſtras ſycophantias! Do. Vtinam, nam cerneret
Datam à Chremete non Philomenæ, ſed noſtræ Antiphilæ fidem.
Ca. Per tempus aduenio. Ep. Ad quem fers iſtas litteras? Do. Dixi tibi

Ad

Ad cognatos Chremetis. Ep. Quam ob rem? Do. Vt ab illo iam datam fidem
Noſcant noſtræ Antiphilæ. Ep. Actũ agis. Primùm nego iſtas litteras
Chremetis eſſe: tum ſient. cur verò nunc ei minùs
Liceat Philomenam ducere? quid ad hoc ais? Do. Quoniam nihil
Viri, & fidei eſt in uobis. Ca. Quas tabellas audio? quam fidem?
Ep. Heus tu? facit id quiſque, quod in rem ſuã eſt. Do. Egregiam rem facit.
Ep. At verò oſtende litteras. Do. Non faciam. Ep. Cur ni facias? Do. Quia
Mihi à te cautio eſt. Ep. Quæ? Do. Ne reddas. Ep. Me eradicet malè
Deus, ni reddidero tibi in manus. Do. Didiciſtin' litteras?
Ep. Nemo docuit. Do. Quid igitur his facias? Ep. Occurret obuiam
Fortaſſe aliquis nobis, qui illas legat. Do. Cape. nolo enim ampliùs
Hic concertare tecum. Ep. Hem? non eſt noſter Calipho? ipſus eſt.
Ades opportunè Calipho: intuere iſtarum audaciam,
Vt nos perturbent. Ca. Quam rem agunt? Ep. Dicunt Chremetem iam fidem
Antiphilæ Demeæ dediſſe: non poſſe aliam ducere
Bono iure. itaq; ſcriptum proferunt, quod aiunt anulo
Ipſius obſignatũ. quod ab hac ancilla impetrare vix

Potui, vt viderem. nunc legendum do tibi; qui impudentiam
Iſtarum agnoſcas; atque cernas muliebres fallacias,
Quas aduersùm nos inſtruunt. cape. quid ais? Ca. Mane. Ep. Quid eſt?
Ca. Perlegi. cui veſtrûm reddam? Do. Mihi. Ep. Cuivis. Ca. Cape mulier.
Ego quæ facio, uolo fieri omnium gratia, ut eſt officiũ
Boni viri. Chremeti inuito nunquàm nuptui dabo
Gnatam meam: ſed aliũ ipſi uirũ parauero. Chremes:
Sit veſter. in hoc equidem non ampliùs laborem. Ep. Calipho
Te à nuptijs iſtarum cauſa non decet ſubducere.
Sed quænam litterarum eſt ſententia? Ca. Non opus eſt hic pluribus.
Sophronomus vbi nunc eſt? Ep. Domi. Ca. Nunc igitur hinc ad eum adeo.
Ep. Satis grauem curam homini iniecimus. tranſacta res benè eſt.
Quòd ſi Chremes quicquã reſiſtat, diſſolutum nuptias
Iri uideo. Sed ego ad illũ hinc; ad Antiphilã tu Doria.

ACTVS IIII.

Scena II.

SOPHRONOMVS, CALIPHO, CHREMES.

VEhementer de tuo animo dubitat Calipho. quamobrem velim,

Vt illi tu te ipſe aperias. Sed eccum ſanè ipſum obuiam
In tempore. Ca. *Per tempus vos vnà offendo.* So. *Nunc ad te è domo*
Ibamus. Ca. *Atque ad vos ego.* So. *Nunc per te Calipho potes*
Scire ex Chremete quæ vělis; & ſuſpicionem omnem ex tuo
Animo amouere, quæ te in hiſce nuptijs habet malè.
Ca. *Sophronome ſcis, opinor, quanti ſis apud me; quem in loco*
Semper habui ſummo: & idem ſæpè dicere exprobratio èſt.
Hæc, quam inter nos affinitatem contrahi volumus, niſi
In communem vtilitatem vertat, nulla erit. Nunc ego igitur
Orò, obſecroq́; vt apertè mihi ſuam mentem explicet Chremes:
Nec quid diſſimulet. nam mihi multa offeruntur ſæpius,
Quæ ſuſpicione concutiunt animum. So. *Chreme, quid ais ad hoc?*
Dic, vis tu Philomenam vxorem? Ch. *Vt lubet.* So. *Mihi verò lubet.*
Ch. *Dixi pater facturum ſemper obſequelam me tibi.*
So. *Audin' mi Calipho?* Ca. *Audio.* So. *Quid hæres? nonne comperis*
Falſa eſſe, quæ retulit tibi antè de Antiphila Paleſtrio?

ſtrio?

Ca. Non vtique falſa. So. Non? quid ais? Ca. Sic eſt.
So. Quid iſtud eſt? Ca. Rogas?

Faciam tibi palàm omnia, ne quid ambigui deinceps
ſiet,

Quod nos aliquando torqueat. So. Facis rectè. Sed
loquere iam.

Ca. Ego nunc ad vos veniens incidi in Epithymium &
Demeæ

Ancillam inter ſe litigantes. So. De quibus rebus?
Equidem

Quoties audio nomen Epithymij, cogitatio in malam
Aliquam rem traducitur. Ea mihi eſt de homine
opinio, & fides.

Ca. Audi. nam rem omnem ediſſeram tibi Sophronome
ordine.

Tenebat ſcriptum ancilla; quod Epithymius ab illa
vi auferens,

Mihi, qui tum adueniebam, dedit legendum. Ch.
Hei vereor. So. Cuius illud eſt

Scriptum? Ca. Chremetis eſt obſignatum anulo. Ch.
Hei mihi miſero.

So. Quæ erat ſcripti ſententia? Ch. Perdidiſti me Epi-
thymi, ſcelus.

Ca. Fidem firmabat Antiphilæ. Ch. Perij. So. Quam-
nam fidem, obſecro?

Ca. Se illam uxorem ducturũ. Ch. Nullus ampliùs ſum.
So. Quæ audio?

Ca. Sic roborata vetus ſuſpicio mihi eſt. So. Chreme,
quid

quid ad hæc ais?

Taces? Ch. Pater mi dicam vera; nec ſimulo Antiphilam priùs

In uxorem uoluiſſe me: verùm vbi factum noui tibi

Minùs placere, mutaui animum. tum verò quia vis mihi

Locari Philomenam, geram morem. Ca. Chreme, niſi etiam id ex

Animo facias tuo, gnatam meam nullam duces. So. Chreme,

Quid ego ſtudeo, niſi vt quæ fiunt, commodo cedant tuo?

Verùm qui ſeruat inuitum, occîdit. Ch. Quid cauſæ nunc tibi eſt

Pater, qua me doleas? So. Quid ſcriptum ſibi? Ch. Dixi voluiſſe me

Antiphilam Demeæ in uxorem. quoniam id tibi minùs placet,

Sententiam muto; quia ſtatui gerere morem tibi.

So. Nolo exacerbare affectum iuuenis animũ. Ca. Quid igitur hîc

Statuitis? Ch. Te ſocerum uolo. So. Num adhuc porrò hæres Calipho?

Ca. Rectè eſt. Domum hinc eo. So. Nos apud te confeſtim erimus. Ca. Optimè.

ACTVS

ACTVS IIII.

Scena III.

CHARINVS.

Tandem patrium ſolum attigi ex longa maris
Iactatione, & nauſea. Habeo gratias
Deo, quòd me incolumem hactenus ſeruauerit:
Neq; ponti merſus vndis medijs perierim;
Neq; naufragium fecerim ad infames inſulas;
Neq; in piratarum manus deuenerim,
Qui longis æquor nauibus percurſitant.
Nunc in dubio ſum, quid agam: num patris adeam
Domum? an ad amicorum patris aliquem priùs?
Qua fronte in aſpectum patris veniam, patri
Qui nolui auſcultare, & eius perſequi
Mores, & exemplum? Quonam pacto domo
Excipiar, qui meam ſubſtantiam malè
Conſumpſi? Redeam ad eum, quem neglexi impudés?
Sed ad patrem meum adibo: ignoſci mihi petam:
Fatebor erraſſe iuuenem: ſi vnquàm à me erit
Simile peccatum, occîdat. Si non filij,
At mercennarij rogabo me loco
Habeat; & pereuntis fame miſereat ſui
Gnati. imponat pro peccato quod vult onus.

ACTVS IIII.

Scena IIII.

CHREMES, EVANDER.

SI pater de me roget, ſtatim adfuturum me illi dicas.
Nam ad ſodales ego meos abeo. Eu. Potes beatum
Prædicare te Chremes, qui vxorem nactus es formo-ſam,
Benè moratam, claram genere, dotatamq; dote ſum-ma.
Ch. Non ſatis meum animum noſti Euander, nec meas ærumnas.
Eu. Cur, quæſo, iſta narras? Ch. Quia mens abhorret à nuptijs.
Verùm obtemperandum eſt patri. Eu. Vera nè? Ch. Haud licet fari omnia.
Eu. Proh Deum immortalem, vt in vita nihil eſt, quod expleat nos
Solido gaudio? tamen quid eſt in iſtis nuptiis, quod
Te adeò angat? non virginem ducis cunctis bonis do-tatam?
Non facis patri rem gratam? non tibi modum præ-ſcribis
Vniuerſæ vitæ? Ch. Quicquid accidat, mihi feren-dum eſt.
Sed tu quò tenes hinc iter? Eu. Ad portum, ſi tuo

de

de fratre

Fortè aliquid reſciſcam. qui ſi nunc in iſtis nuptijs tuis

Intereſſet, hunc diem totum ſummis cumularet gaudijs.

Ch. At verò quo decretum tibi eſt hinc ire, perge Euander.

ACTVS IIII.

Scena V.

EPITHYMIVS, CHREMES.

NVſquàm vidi Chremetem. quàm lubens mihi
Nunc obuiam illum vellem, qui à me diſceret
Quæ geſſerim; & quo deinceps ſe gerat modo!
Ch. Meritum certè fero ob ſtultitiam præmium:
Qui rem meam volui ſeruo committere
Sceleſto, & futuli. Equidem ſi nunc ſe mihi
Offerret, haud ſcio quam de illo pœnam ſumerem.
Viden' hominis audaciam! palam facit,
Quod maximè celari optabam. Sed iure omnia.
Nunc incertus ſum quid agam. niſi aliquis Deus
Me reſpiciat, totus perij. Ep. Ille ne eſt Chremes,
Qui illac digreditur? ipſus eſt. Chreme, Chreme?
Ch. In quo me incluſit laberyntho infandum ſcelus.
Ep. Heus tu Chreme? Chreme? iam ſiſte iſtic pedem.
Ch. Cuius ne vocem ſentio? vt lætus via

Incedit ad me furcifer! Ep. Neſcis Chreme
Quid geſſerim? Ch. Scio. Ep. Quidnam? Ch. Famæ meæ
Minùs conſuluiſti. Ep. Quinam? Ch. Non tu meas
Ad Antiphilam indicaſti litteras, inſcio,
Et inuito me? Ep. Feci: ſed eo conſilio,
Vt Caliphonem deterrerem à nuptijs.
Neq; enim aliam commodiorem inueni viam,
Qua prodeſſem tibi, tuóq; mederer malo.
Sic ergo benè merenti iniquus es Chremes?
Ch. En venit ad nos Calipho litteras meas
Ad Antiphilam patri indicans.
Ep. Tu verò? Ch. Non negaui. Ep. Quid tū ergo? Ch. Pater
Inſtat magis, ac magis, vt planè dicam an velim
Philomenam. Ep. Quem tunc indicaſti te virum?
Ch. Facturum dixi grata quæ forent patri.
Ep. Pulchrè. quando placuit tibi, Philomenam habe.
Nam ſi quid monſtraſſes te alienum à nuptijs,
Nunquàm dediſſet Calipho gnatam tibi.
Ch. Non audebam negare quod promiſeram
Antè patri. Ep. Cur me ergo accuſas? dole tuam
Ignauiam. Nunc omni ducenda eſt modo.
Ch. Moriar priùs, quàm ducā. Ep. Vt vis. Poſthac te ego
Iuuare neq; conſilio, neq; opera queo.
Ch. Cur ita? Ep. Quia nolo cum ingenijs huiuſmodi
Conflictari, quæ à ſeipſis ſemper diffident.
Ch. Quæſo mihi ne deſis Epithymi. meo
Certè animo ſtat non ducere. Ep. Ne ducas quidem.

Ch. At dixi me ducturum. Ep. At, vt ducas, vide.
Ch. Sine te exorari. Ep. Nolo quid de me dein
Doleas: quòd mea opera tibi ſolicitudines
Gignat. Ch. Non fiet. Ep. Eluſiſti omnem meam
Artem. Ch. Quid, ſi hinc abeam! Ep. Quò? Ch. Rus;
ne offendar hîc?
Ep. Bellum facinus, & ſolo tę dignum uiro: at
Fortè neceſſarium ſtolido homini. Ch. Probas?
Ep. Ne me, oro, hac de re conſulas: nempe ut ſi opus
Mihi iuſiurandum ſiet ad patrem, tibi
Nunquàm id ſuaſiſſe, liquidò poſſim. Ch. Sed ueni
Mecum pauliſper. Ep. Mihi certum paras malum.
Quod argumentum erit iſtoc in me clarius?
Ch. Veni. Ep. Sino me trahi. mox terga ſenſerint.

ACTVS V.

Scena I.

PYTHIAS, EPITHYMIVS.

QVàm bellè nos Chremes eſt ludificatus! Nam quo tempore
Philomena deſpondenda ei erat, tanquàm imitatus ſeruos malos,
Domo, atq; vrbe exceſſit. Rebar iuuenem eſſe morigerum, & patri
Satis obſequentem. Vt falſa animo ſum miſera! Sed in Epithymium

Auctorem hæc omnia redundabunt mala. ſed illum huc ſolicito,
Et feſtino gradu venientem uideo; vix ut ducere
Anhelitum poſſit ex curſura, ſcelerũ cumulatiſſimus.
Ep. Pythia, quando ducitur vxor? Py. Cùm tu voles. Ep. Quaſi hoc ſiet
In me. Py. Sic eſt. Ep. Quî iſtuc? Py. Væh iam ætati tuæ. Ep. Garris, malum!
Py. Væh miſeris fuſtibus, quæ comminuentur in tergo tuo.
Ep. Malam rem tu tibi quæris. Py. Sed tu non effugies. Ep. Ita
Me irrides! Py. Non equidem irrideo. Ep. Verè ne loqueris? Py. Serio.
Ep. Ah ah he. noui ego veſtras malas merces, aſtum, & dolos; quibus
Operam datis, mihi vt inijciatur aliquis in pectus timor.
Py. At verò ſenties. Ep. Quod iſtud eſt malum, quod prædicas?
Quid eſt inepta? quid rides? pergin'? Py. Mox ſenties. Epi. Abi hinc?
Py. At ſenties. Ep. Quid ſentiam? Py. Tuis cùm orabis oſſibus
Humerarijs ſalutem. Ep. Quid feci? Py. Virum frugi bonæ
In ſublime rapi iniurium eſt. Ep. Pythia noli obſecro canem
Tuis iam verbis irritare, ne dentes perſtringat, &

Te

Te mordeat. ſed dic cur iratus ſiet adeò in me herus;
Cauere vt in tempore poſſim mihi. Py. Tibi neſcio Epithymi.
Ep. Mihi neſcis! Niſi ego ſciam ex te quicquid hoc eſt, quod blatis,
Aut interſtringam tibi gulam, aut cerebrum excutiam, vel te coma
Arripiam, & in terram dabo; tum pedibus ventrē iſtum improbum
Calcabo, cōtundā, feriā. faciā vt vſq; memineris mei.
Py. Quæ te mala crux agitat? ſanus ne tu es? Quid hoc iniuriæ eſt?
Quid grunnis fuſtiū ſeges? mox ganniturus, omnium
Peſſime bipedum. Ep. Temulenta ſiccine es? Py. Tibi dico abſtine
Manus; grauiora ni uelis pati. Ep. Non à te fas mihi
Reſcire quod rogo? Py. Nunquàm id tu à me, niſi verbis bonis.
Ep. Age mea Pythia, ſi quid nos amas, nobis edicito.
Py. Ita vincis. ſed tamen ea lege dicam tibi, ne à me vnquàm tibi
Dicas fuiſſe dicta. Ep. Scilicet. Py. Non nubit, ut audio, hoc
Die Philomena tuo Chremeti. Ep. Non! quid obſtat? Py. Quid? quia
Nuſquàm ille apparet. omnes in te culpam. ſed crepuit foris.
Exit neſcio quis. Ego hinc quò iuſſa ſum. Tu tibi, moneo, caue,

ACTVS V.

Scena II.

SOPHRONOMVS, EPITHYMIVS, DROMO.

Epithymi, Epithymi, ſceleſte! Ep. *Viſus ſum.* So. *Gradum iſtic ſiſte.*

Ep. *Quaſi non audiens ibo.* So. *Carnufex!* Ep. *Perij.* So. *Sceleſte!* Ep. *Vah mihi.*

So. *Epithymi!* Ep. *Quid ſi in pedes me dedam?* So. *Ni ſiſtas!* Ep. *Quibus ne*

Me modis expurgem? So. *Audis, an non?* Ep. *Quis hîc hominum vocat me?*

So. *Sophronomus ſum. Eodum ad me. Putas manus meas te poſſe*

Elabi? Ep. *Quid iſtud eſt?* So. *Rogas? iam ſenties. non certè*

Poſthac ego feram tuas artes. Vbi eſt Chremes? quò hinc abijt?

Ep. *Nullum vidi.* So. *Nullum? Siccine me tantis malis onerare*

Pergis adhuc ſceleſte? Siccine ſemper mihi propter tuum caput

Euenient labores? Siccine ſpes meas, opes, fortunas

Dilaceras tuis dolis? Sed non eos aſtu coluiſti:

Conſuiſti in te fallacias. Ep. *Nullus ſum: lingua hæret metu.*

So.

So. In te maleſactis malefacta cumulas. nec feres impunè.
Siquidē honore honeſtiore honeſtabo tuo te merito.
Atq; ut planè videas quò iſthæc ſe tua iactet impudentia,
Ad te homines voco. Heus uos? heus Dromo, Syre, Charion. Do. Quis uocat nos?
So. Exite huc ad me cum uinculis, & manicis quàm citiſſimè.
Tu tuo malo diſces quid ſit pericli herum deludere.
Quid moramini? Do. Quid uis? So. Vincîte. Do. Quē? So. Monſtrum iſtud. agite.
Ep. Quam ob rem? So. Quoniam ſic lubet. Ep. Quid commiſi? So. Agite. Ep. Quā immeritò! So. Impudētiā
Spectate hominis. Quod facinus in me non auſus eſt moliri?
Quas fallacias mihi non fecit? quos dolos non ſtruxit?
Non tibi dixi non laturum hæc te impunè? non idem te
Sæpe, ac ſæpius commonui? Ep. Commonuiſti. ſed quid in te
A me peccatum eſt? So. Tun' à tuo genere unquàm ut diſcrepes, graue
Stabulum nequitiæ? Non, non ſublinies poſthac os mihi; nec
Ductabis dolis. Quis iunioris mores corrupit bonos?
Si illud inultum non abiſſet, non mihi modò hæc patraſſes.
Vxorem dare filio Chremeti maximo opere nitor;

Aſſentitur gnatus; vxorem inuenio; huic prædico, moneo,
Oroq́;, mihi ne interturbet nuptias. Sed hic bonus uir
Nunc dictis, nunc deterret tabellis Caliphonem, ne det.
Poſtremò, cùm eſt deſpondenda, gnatum amandat. Hoc deluſus
A te ſum modo? His tu filios? his tu patrem implicas malis?
Sed quid ego iam hæc? Non dabis mihi deinceps uerba. Vos illum ocyùs
Ex meis oculis rapite hinc. Ep. Nihil horum commerui. Here audi obſecro.
Si quid horum in me. So. An paratus ad mendacia es? haud certè audiam.
Ep. Audi here. quære ſi in me offenderis vnquàm horũ. quicquàm, ſuſpendito.
So. Quadrupedem ocyùs rapite hinc. Ep. Audi, obſecro
So. Nunquàm certè audiam.
Rapite, uerberibus uinctum affligite, & ad ſanguinẽ vſq; cædite.
Nunquàm ex carcere eximeris. Hic tuis meritis erit honos.
Ep. O manus, quæ vos manicæ amplectuntur! O humeri immerentes,
Quæ manent vos virgæ! Heus ferte opem mihi miſero; ferte ciues.

ACTVS

ACTVS V.

Scena III.

SOPHRONOMVS.

SVm ne ego miſer, cui tot ſimul malis mala
Adglutinantur? cui res omnes accidunt
Aduerſæ? cui anteuertunt luctus gaudijs?
Quibus ego liberos eduxi? alter abijt
E patria; alter his me deludit modis.
In orbitatem produxiſſe me puto.
Quid? num ne priùs hoc non promiſſum oportuit?
Aut proloquutum cauſam aliquam, qua illam ſibi
Committi vxorem nollet? obſtupet animus.
Nec conſilio, nec auxilio eſt vllus mihi
Locus relictus: nec quid agam certum eſt ſatis.
Dediſti verborum ſatis mihi Chreme.
Sed hæc, fateor, mihi culpa eueniunt mea:
Quoniam liberiorem viuendi liberis
Poteſtatem feci, & tractaui leniùs.
Chremes, Chremes malus es benè merenti patri.
Sed cur me de tua excruciem dementia?
Certè hoc vnum doleo, quòd iurè Calipho
Mihi ſuccenſeat; quoniam illum ego compuli
Ad nuptias reluctantem. Quid igitur hic
Faciam? mittam ne, qui fugitiuum filium
Accerſat? at fracta eſt alea. Hei miſero mihi.

ACTVS

ACTVS V.

Scena IIII.

CHARINVS, EVANDER, SOPHRONOMVS.

QVa fronte adibo ad patrem Euander; quem benè
Monentē ſpreui, amantē contempſi? & cui
Minùs obſequens fui, illi nunc ſupplex ero?
Eu. Ne iſtæc animum inducas velim. Deus bone
In quæ repente gaudia veniret ſenex,
Si hîc te præſentem ſciret? amoue metum.
So. Heu quantis curis angor infelix ſenex.
Ch. Quid ubi me ſordidatum viderit, obſitum
Pannis, ſentum ſqualore, pallentem inedia,
Tantiſq; deſpicatum ærumnis, & malis?
Eu. Suum amplectetur filium, leuabit his
Malis. Sed hic cur ſtamus? celeremus gradum.
So. Quem Euander ſecum adducit? an gnatum meum?
Quid irruere in eius collum hinc ceſſo obuiam?
Eu. Quantum Sophronome à portu porto tibi bonum?
Ecce hîc amiſſum filium, quem deperis.
So. O mi fili (vix abſtinere me queo
Præ gaudio à lacrymis) ne ita te ad pedes meos
Proſternas. illum Euander explica: eleua.
Eu. Teſtis Deus eſt, quantis precibus attraxerim.

Venire

Venire renuebat; fugitabat os tuum.
Ch. Heu mi pater, peccatum eſt à me in te ſatis
Grauiter. neq; enim tibi morem geſſi; & bona
Mea diſſipaui ludo, luxu, inertia.
Nec filij tui nomine ſum, nec tuo
Conſpectu dignus. at petenti oro veniam
Da mihi pater. non inſolentiam meam,
Verùm tuam benignitatem reſpice.
Si non in filij me habere vis loco,
Quod iure ſummo facis, at mercenarij
Me habe: nec me fame patiaris emori.
Errore nam adductus ſum adoleſcentiæ.
Si vnquàm poſt hac ſimile patraro, occidito.
So. Parce lacrymis Charine: ego tuus ſum pater,
Ignoſco, amplector, atque in filij locum
Recipio. mea bona tua ſunt. & quem frui
Patris bonis eſt æquius, quàm filium?
Ch. Deinceps vitæ modum voluntatem tuam
Mihi præſcribo: à qua nefas diſcedere.
Nam exemplo didici ſapere iam planè meo.
So. Quòd didiceris ſapere tuo periculo,
Charine gaudeo, ſiquidem genus optimum
Sapientiæ malorum eſt experientia.
Atq; ipſe pro me conſulam rebus tuis.
Et ut certum tibi ſtatuas vitæ genus,
Vt ne huc, & illuc erres, uxorem velim vt
Ducas. Ego ex multis delegi vnam tibi
Amici noſtri Caliphonis filiam,
Honeſtam, nobilem, cum dote maxima.

Ch. Heu

Ch. Hoc ſi tibi in animo eſt, nihil eſt, quòd me roges.
So. Ergo agite meum Charinum veſtibus
Exuite, & vt lauetur curate optimè.
Deinde ſtolam primam, & nouam induite, ac date
Pedibus pullata calceamenta, ac date
In eius dexteram anulum; ſymphoniam,
Et pſaltriam conducite; atque occidite
Vitulum ſaginatum: &, ſi lubeat filio,
Epithymium etiam è vinculis diſſoluite.
Ite intrò. Ego hinc ad Caliphonem. O mihi diem
Fauſtum, & felicem, qui adimit tot moleſtias.

ACTVS V.

Scena V.

CALIPHO, SOPHRONOMVS.

ADueſperaſcit, & Sophronomus nullus uſpiam eſt. Quid hoc
Moræ eſt? Sed aduenientem ad nos video: nec eſt cum ipſo Chremes.
So. Non licuit ad te priùs ire; quoniam ſunt multa me domi
Morata. *Ca.* Cur non adducis tecum Chremetem? *So.* Audi, obſecro,
Mihi quæ nunc euenerint. Chremes clam me domo exijt;
Nec vſpiam locorum eſt. *Ca.* Hem, prædixin'? *So.* Quin

Quin tace obſecro.
Ego, quid agerem incertus, afflictabar mecum grauiter &
Ob temeritatem filij, & tui præcipuè gratia;
Quòd ludificatus eſſes à nobis ignauè, ac turpiter.
Charinus intereà de improuiſo præter ſpem omnem mihi
Se ſe obtulit, veniam à me poſtulans, peccati pœnitens;
Poſthac mihi prorſus ſe fore obſequentem pollicens. ego
Lætus gnatum excipio, mutari veſtes, & lauarier
Iubeo. atq; vxorem illi aio daturum me Philomenã virginem,
Gnatam tuam: id quod tu etiam magis optabas. aſſenſus eſt,
Profeſſus cuncta ſemper facturum ex ſententia mea.
Nunc ad te venio, rem edocens, & orans, vt quæ erant
Futuræ cum Chremete nuptiæ, fiant nunc cum meo
Charino. Nec dubium eſt, quin id Chremeti olim doleat ſatis.
Ca. *An eſt, quem ego malim, quàm Charinum? Nam alter ſemper mihi fuit*
Neſcio quo pacto ab animo. Nunc apertè video, quòd Deus
Tui curam habeat. So. *Ago illi gratias, mihi quòd perditum*
Hunc filium reſtituerit; tibiq;, quod ſerues tua
Affi-

Affinitate. Sed quid ſtamus? Ca. Ego ibi intrò ad Philomenam, vt hæc
Renunciem. Tu verò ad nos adducito huc ſtatim tuũ Charinum: qui illam vxorem ſibi deſpondeat. So. Faxo illico.

ACTVS V.

Scena VI.

EPITHYMIVS.

ITa me totum flagris afflixere miſerum
Valentes virgatores, vt penè vlmeum
Reddiderint. adeò nunc latera plagis calent.
Diffracta crura: tergus contritum gerit
Magnum theſaurum fuſtium. Et quis fortior
Ad ſufferendas plagas hîc Epithymio eſt?
Qui porrò ineptus factus eſt ad omnia.
Sed non quidem hoc præter morem noſtrum euenit:
In quos redundat omne poſtremò malum.
Ego hinc rus ad Chremetem, vt iſtæc nunciem.
Moneoq́; ne quis hic expectet quempiam
Noſtrûm. nam nox erit. Sinè vobis tranſigent
Reliqua. Interim verò valete, & plaudite.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE